



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Secvndae Partis Theoria Modi Operandi Svpernatvraliter.


urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

SECUNDÆ PARTIS

THEORIA

MODI OPERANDI

SUPERNATURALITER.



AD
 MYSTO-SCHOLASTICOS
 DIVINO ANIMO
 PRÆSTANTES
 PROLOQVIVM.

P S E [^a Pontifex pro sua natura, modo, & ordine in diuinis mysterijs, ac rebus perficitur, atque diuinitatem consequitur,] quo ita, sicut habet ^b sapientiam Angelus Dei intelligat omnia, quæ in arcano amore, à mysticis Doctoribus traduntur. quorum infinita propemodum Scripta, cum tanquam paradifus cœlestium voluptatum redundant, ac prorsus diuino odore multifariè, multisque modis, præstantem mysticum perfundant, non ita ieiunè de tam præclaro exercitio scribere decuit; quin saltem variorum sanctorum Patrum, & in mystica vnione præstantium Virorum sententiæ adducerentur. idque non tantum, vel, vt ea quæ inexpertis paradoxa videri possent, irrefragabili auctoritate probentur; vel, vt ex illorum doctrina, gratia sanatus, & ingenij perspicacitate præditus animus, longè præstantiores conceptus, quam à nobis dici valeant, efformet; sed etiam vt diuinorum amans, vel maximè ex lectione variarum sen-

ten-

^a S Dion. de Eccl. Hierar. c. 1. ^b 2. Reg. 14.

tentiarum, ad dilectionis mysticæ incendia commoueatur: id quod frequenter, & longè præstantius contingit, per solas, & nudas sanctorum Virorum sententias, quam per illa, quæ alioquin etiam conformiter ad praxin, ordinatè, industriè, ac subtiliter scripta sunt. Vndè etiam tanquam paræneticæ lectiones, perlegi possunt omnia, quæ in Theoria huius secundæ Partis tractantur.

Et quum [ordo *a* ad bonum, boni rationem habeat;] ac [mens pro suo captu, bono *b* ordine à Deo perfundatur] nos in accurato practico ordine explicando, vtiliùs, quam in sublimitate sermonis scholastici, laborem nostrum impendendum iudicauimus. hoc autem cum diuersimodè, scilicet secundum praxin, & secundum Theoriam, præstiterimus; non tamen eundem statum, dispositionem, aut notabiliores operationes bis æqualiter tractamus; sed aliter, atque aliter; pro vt scilicet praxis alium, quam Theoria loquendi modum postulat: beneuolum lectorem ordinariè remittendo ad illa loca, in quibus congruentiori ordine, latius singula explicantur, quæ alibi solummodò breuiter attinguntur. & licet ad tam præstans opus, longè impares simus; ardens tamen ad diuinum amorem desiderium, ad hanc descriptionem nos compulit: eo etiam vel maximè fine, vt & amicus lector, diuinorumque amantissimus propriæ vtilitati consulat, vel etiam [communicet *c* mecum, maiorem, perfectioremque lucem meisque oculis monstret; præstantiores, & vnius speciem magis exprimentes formas, quas-
cunque poterit cernere.]

Mm 3

Quod

a S. Thom. contr. Gent. l. 2. cap. 21. b S. Dion. de Eccl. Hier. cap. 4. c S. Dion. de Eccl. Hier. cap. vlt. in fine.

Quod cum ab illis, qui non tantum in sacra doctrina; sed etiam in praxi arcani amoris versati sunt, longè perfectius, quam à purè scholasticis fieri possit: Mysto-scholasticos diuino amore præstantes, humiliter rogamus, vt omnia, & singula, quæ in tota hac summa Mystica continentur, secundum sanum, pium, & Catholicum sensum, velint accipere. quæ enim à viris Religiosis de supernaturalibus præcipuè statibus scripta sunt, solent vel purè scholastici ita legere; tanquam illi, quibus credita sint eloquia Dei, vtque ipsorum prudenti, & matura discussione, ab ouili Ecclesiæ, quidquid aut sacræ doctrinæ, aut morum bonitati aduersatur; pastorali, vigilantique tutela, procul abigatur. Vndè & nos sicut hanc summam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, iudicio, & censuræ, qua par est deuotione, subiicimus iuremeritò: sic etiam viris Mysto-scholasticis, Diuino animo præstantibus, eandem dedicamus, consecramusque.



DE STATIBVS MODI OPERAN- DI SVPERNATVRALITER

IN GENERE.

DECISIO PRIMA.

VT [a ipse ordo (faciliùs) nos in primum , & summum , potentissimum , & sapientissimum , & optimum , euentissimè manu ducat ;] sufficienter (per totam primam partem) de modo naturaliter operandi , cum dictum sit ; oportet consequenter per totam hanc secundam partem , de modo supernaturaliter operandi agere : & quidem in hac prima Decisione , specialiter ea coniunctim ordinare , quæ ad sequentia vniuersaliter referuntur , & pluribus communia sunt , ne legentibus confusa , & illaqueata repetitio , nauseam , tenebrasque iniiciat . cum autem supra *b* dictum sit quid sit Theologia Mystica , quodque illam communicare nefas sit , nisi sacris nostræ Religionis , ritè institutis , ac alijs ad modum naturaliter , & supernaturaliter operandi pertinentibus , declaratis ; consecutiuo ordine vltèrius dicendum erit ;

- I. *Ad modum operandi supernaturaliter neminem peruenire , nisi ex speciali gratia.*
- II. *Modus operandi supernaturaliter profluit ex donis intellectus , & sapientia ; secundum quod sunt effectus habitus charitatis singularis amicitia.*
- III. *Quid , & quot sint status modi operandi supernaturaliter.*
- IV. *Quale iudicium possint ferre scholastici de statibus modi operandi supernaturaliter.*
- V. *Pientiores scholasticos de mysticis , & rectè sentire , & à Deo deuotionis solam ne dignari.*
- VI. *Perfectum tamen iudicium de supernaturalibus modis , prærequirere scientiam , praxin , & longam experientiam.*

VII. *In*

a S. Bonau. Itin. ment. c. 1. b 1 p. Dec. 3.

- VII. In explicandis operationibus supernaturalibus, terminis egeitatis, ipsitatis identitatis, & similibus sobrie utendum esse.
- VIII. Perfectionem mysticam non consistere in eo, ut quis maneat in summo semel adepti, supremi status; sed ut in Nunc operationis, perfectius adhaereat Deo.
- IX. Quamdiu probabiliter duret vnus status supernaturalis secundum uniformem ut plurimum modum operandi.
- X. Status modi operandi supernaturaliter, accommodato, & sibi proprio ordine, absoluntur ad suum summum fructu centrali, spiritus proprii, & spiritus diuini & contra.
- XI. Quilibet status supernaturalis est ordinata, & proxima dispositio, ad subsequenter magis in charitate radicandum.
- XII. An mysticus in perfectis statibus molestetur passionibus inordinatis.
- XIII. Utilitatem mysticæ vitæ in eo consistere, ut pia anima paulatim appropinquet ad felicitatem status innocentie, quantum ad subordinationem passionum, puritatem intellectus, & rectitudinem voluntatis, in ordine ad dilectionem Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ad modum operandi supernaturaliter neminem peruenire, nisi ex speciali gratia.

AD faciliorem intellectum eorum, quæ modo dicuntur, obseruandum est, nos hoc loco nõ loqui de gratia sanctificante; quæ in hac vita homini dat ius, ad vitam æternam; siue de dono gratiæ gratum facientis, pro ut in [hoc dono a Spiritus sanctus habetur, & inhabitat hominem] in gratia enim mystica modi supernaturaliter operandi, hanc gratiam sanctificantem, fide non ficta, & spe firma præsupponimus; in charitate radicati, & fundati, per bona opera, quæ testimonium nobis dant, quod simus filij adoptionis, & hæredes regni Dei: sed loquimur de speciali gra-

tia amicitia, & familiaritatis diuinæ, pro ut per b dona intellectus aut sapientiæ, (secundum quod sunt effectus charitatis,) spiritus humanus, cum spiritu diuino, in hac vita vnitur, modo Angelico, id est, absque discursu, & phantasmate; idque facillimè, & perseveranter, iuxta conditionem habitus supernaturalis.

Ad eiusmodi ergo gratiæ vnionem, [nemo pertingit, nisi c acceperit per reuelationem, vel experientiam; vel qui ad hoc prædestinatus est, ut experimento cognoscat.] Hoc enim est [mysticum, d & secretissimum, quod nemo nouit, nisi qui accipit; nec accipit, nisi qui desiderat: nec desiderat, nisi quem ignis Spiritus sancti medullitus inflamat, à Christo in terram missus, & ideò dicit Apostolus, hanc mysticam sapien-

a S. Thom. 1. p. q. 43. a. 3. c b Hic a. 2. c S. Aug. & Haymo. apud S. Bonau. 3 Itin. atern. dist. 5. d S. Bonau. Itin. ment. c. 7 & Harph. l. 1. p. 2. c. 48.

dat sibi eam a necesse esse: maximè si nouitius est, nec (debitos) ascendit gradus. pius enim Dominus noster Iesus Christus, pusillos corde blanditijs talibus solet allicere. sed nouerint qui huiusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse non datam] vel etiam [quod b non pateat aditus plerisq; ad diuinam & occultam diuinarum mentium ueritatem.] [multi tamen sunt e qui habet charitatem in habitu, sicut pueri nouiter baptizati; multi qui in actu possident, & exercent dum merentur; sed paucissimorum est sentire distinctè nexum istum, mansionem istam, uocem istam; propter occurrationes curarum in memoria, phantasiarum in intelligentia, & concupiscentiarum (quamuis minimè criminalium) in uoluntate uel affectiua.] vndè in exercitio actus, [non omnes d serui Dei in hoc sæculo, ita rapiuntur supra seiplos, non omnes ita pertingunt ad occultum, simplicem, nudumque, & Deiformem anime fundum, non omnes admittuntur ad mysticam illam, præcelsamque cum Deo unionem, ad quam nullus proprio conatu, aut labore peruenire potest, nisi speciali gratia Dei adiuuetur.]

[Paucissimos e autem ad ultimos, & perfectissimos status peruenire] intelligendum est respectu multitudinis eorum, qui in inferioribus sua exercentes, pro mensura donationis Christi, satisfaciunt. at sentire, quod Suarezius

dicit, f nimirum [beneficium contemplationis puræ, à Deo rarissimè concedi, & non nisi ob singulare priuilegiū, aut magnam utilitatem publicam;] hoc ipsum ab integra notitia praxis deuiare est: vndè etiam eidem à Sandæo, tanquam qui hoc dicat, & non g probet, rectè obijcitur. quotidiana enim praxi constat, plures inter eos, apud quos su. per omnia studium contemplationis viget, ad summa mysticorum eleuari, sublimius quam quisquam non expertus, cuiuscunque tandem scientiæ, & ingenij profunditate sublimis, intelligere possit.

Ex pientioribus ergò nemo contristetur, licet in hac uita unionis supremæ modum, & pro ut supernaturali operatione confert usum, & quotidianum exercitium, amicitia diuinæ, non assequatur. sicut nec [perfectio b charitatis, quæ est possibilis in uia, non est communis omnibus habentibus charitatem.] [magnum enim est, ô anima, quod desideras, & inæstimabile donum est, quod exoptas, vndè (ut æstimo) humano studio non potest obtineri humano merito uix potest promereri, sed à Deo humilibus precibus, & à dignè dispositis, ex sola diuinæ pietatis condescendētia, uix potest impetrari.] iam uerò, sicut ex dictis constat, neminem nisi ex speciali gratia, ad modum supernaturalem peruenire: sic modo considerandum uenit, quod linea charitatis

a S. Bern. serm. 3. de Circumc. b S. Dion. de Cæl Hier. c. 2. c Gerson. Tract. super Magnif. d Bl. f. spec. spirit. c. 11. e Less. de sum. Bon. l. 2. c. 1. f Tom. 2. de Relig. l. 2. c. 14. g Sand. Theol. Myst. pag. 201. h S. Thom. 22. q. 24. a. 8. c. i S. Bonau. in solil. c. 2.

ritatis perfectè intentà, ad puras operationes facilitandas, donis supernaturalibus, ornatur.

Modus operandi supernaturaliter, profluit ex donis intellectus, & sapientiæ; secundum quod sunt effectus habitus charitatis singularis amicitia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EX dictis cum constet, præter gratiam sanctificantem, necessariam esse aliam a gratiam ad modum operandi supernaturaliter; iam videndum est, ex quibus gratiæ donis, tam supereminens operandi modus, profluat. licet enim [gratia *b* iustificans ita transiret naturam diuinam; eamque nobis præsentem, & inhabitantem faceret, vt etiam si ipsa non esset immensa, & vbi-que; tamen eam nobis intimè præsentem constitueret; cum vnio Dei que fit per gratiam, non sit solum vnio per amorem, & affectum, (vt quidam imaginantur) sed sit vnio per naturæ communicationem, & inhabitationem Spiritus S.] oportet tamen ipse homini perfectiones altiores, secundum quas sit dispositus, vt diuinitus moueatur. Perfectiones porrò istæ, nominantur Dona, non solum quia infunduntur à Deo; sed quia secundum ea, homo disponitur, vt efficiatur promptè mobilis, ab inspiratione diuina; vt perficiatur ad altiores actus, quam sint actus virtutum. vnde & amor ardentissimus, & Scraphicus, ardentissimè fertur in Deum:

quamuis [ex parte animæ concurrat multitudo *c* habituum, & influentiarum:] quæ omnia tanquam virtus diuina replent, & restitunt, & connectunt ad congregantis Patris Deitatem, & Deificam simplicitatem.] [in vna enim eademque potentia possunt esse plures habitus, non tamen ex pluribus habitibus vnus constituitur: cum habitus sit vna simplex qualitas: licet enim ad multa se extendat; id tamen non fit nisi in ordine ad vnum, à quo habet vnitatem.] & certè si [ipsi Angeli habent habitus intellectus *f* & voluntatis, quibus benè disponuntur ad attingendum ipsum Deum:] quanto magis homo indiget [donis, *g* quæ sunt habitus hominem perficientes ad hoc, ut instinctum, & motionem Spiritus Sancti promptè sequatur.] eis-que cum qualitatibus bene-afficientibus, vtatur cum voluerit. [quanquam ergò omnes virtutes *b* Theologicæ, (quia per eas homo Spiritui Sancto mouenti vnitur) omnibus donis præferendæ sint; alijs tamen quibuscunque virtutibus dona, (quia vires animæ in comparatione ad Spiritum Sanctum mouentem perficiunt) sunt potiora,] & ad vnionis diuinæ supremos modos, requisita.

Et [quia homo *i* suo naturali lumine, ad quædam intelligenda penetrare non potest; ad ea cognoscenda, opus illi fuit aliquo supernaturali lumine. quod donum homini datum, donum

Na 2 intel-

^a Hic, i. ^b Vt Less l. 2. de sum. Bon. c. 1. ex Suar. l. 12. de Trin. c. 5. Item Thom. à Iesu l. 4. de orat. Diu. c. 4. ^c S. Thom. 22. q. 8. a. 4. c. ^d Gerf. in Cant. conf. 3. ^e 1. 2. q. 54. a. 1. c. ^f 1. 2. q. 50. a. 6. c. ^g 1. 2. q. 49. a. 3. c. ^h 1. 2. q. 68. a. 3. c. ⁱ 2. 2. q. 3. a. 1. c.

intellectus appellatur.] [lumen porrò doni intellectus, indicat a quendam excellentiam cognitionis penetrantis, vsque ad vltimas rerum intelligendarum essentias, & veritates, quæ non ita completè sit ex virtute luminis naturalis intellectus.] verùm quia donum intellectus, iudicium perficit tantum per simplicem perceptionem veritatis, cum sit habitus principiorum, oportet per donum sapientiæ, superaddere cognitionem experimentalem, practicam, seu saporosam. [nec enim dixerim, b. reprehendendum si quis sapientiam saporem boni definierit.] vndè etiam [sicut gustus e aptus est ad discretionem saporis ciborum: sic sapiens ad dignoscendos saporum rerum, atque causarum aptus est.] per hoc autem donum, non intelligimus donum sapientiæ gratiæ gratis datæ, de quo Apostolus loquitur, alij datur sermo d sapientiæ, &c. sed donum sapientiæ cuius principale obiectum est Deus, non sub ratione veri absolutè, sed sub ratione veri in relatione ad rationem e boni, vt est excitatiuum voluntatis ad eius saporosam dilectionem.

Et hæc f [sapientia quæ est donum, non est causa charitatis, sed magis effectus.] scil. ex tot præcedentium mysticorum statuum exercitio, & varia, ordinataque interioritatis perfectione, tandem profluens, & ad supremos huius viæ operandi modos per dona in-

tellectus, & potissimum sapientiæ habitans: ita vt etiam actuali operatione cessante, remaneat tamen mysticus habilior, vt iterum actuetur, & talis habitus dici potest habitus mysticæ sapientiæ. sicut [mens g Prophetæ postquam fuerit semel vel pluries diuinitus inspirata, etiam actuali operatione cessante, remanet habilior vt iterum inspiretur, & hæc habitus dici potest habitus prophetiæ.] & sic sapientia per rationes superiores, & quandam connaturalitatem ad res diuinas fertur, quam quidem connaturalitatem efficit charitas, ex qua manat sapor ille, a quo sapientia, seu sapida scientia nominata est. Sanctos autem viatores, seu Ecclesiæ militantis, altioribus donis quam sapientiæ, à Deo dignari, dictum est infra. h modo verò consequenter tractandum erit de statibus, in quibus prædictæ operationes, in exercitio actus, formari solent;

Quis, & quot sint status modi operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Id solum [i videtur ad statum hominis pertinere, quod respicit obligationem personæ hominis, pro vt scilicet, aliquis est sui iuris, vel alieni. & hoc non ex aliquo leui, vel de facili mutabili; sed ex aliquo permanente. & hoc est quod pertinet ad rationem libertatis, vel seruitutis:

a S. Bonau. opusc. de 7 don. Spir. S. b S. Bern. ser. 85. in Cant. c Isidor. l. 10. Etymol. verbo sapiens. d 1. Cor. 12. e S. Bonau. de 7 don. Spir. S. & 3. Itin. arer. d. 2. f S. Thom. 2. 2. q. 45 a. 6. ad 2. g S. Thom. de Proph. q. 12. a. 1. c. h Infra Dec. 9. i S. Thom. 2. 2. q. 183. a. 1. c.

uitutis vnde status propriè pertinet ad libertatem, vel seruitutem, siue in spiritualibus, siue in ciuilibus.] & sic mysticus [status est id quod vim a coherendi habet, à vi quæ omnem essentiam superat, & constantissimè perficit,] scilicet secundum libertatem, vel seruitutem. secundum libertatem quidem; nam vbi est spiritus Domini, ibi libertas: secundum seruitutem verò, quando amor diuinus trahit in funiculis Adam, & in vinculis charitatis, & cum charitas vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum inducit. magis clarè autem, status mysticus sit, quædam immutabilitas, seu vniformitas operandi, secundum libertatem; qua homo est magis, vel secundum seruitutem, qua Deus est magis, operans. hæc porò vicissitudo statuum mysticorum supernaturalium, quinque status diuersitatesque inducit.

Primo quidem secundum seruitutem, qua in statu priuationis rigidæ, Deus Optimus Maximus tam solitariè, occultè, & intimè agit; vt mysticus ea vel sola de causa, vsque ad eò ligatus, & in seruitutem omnimodam redactus, apud Deum, vt iumentum factus sit, & freno impotentia, ad nutum diuinum, susque deque, dextrorsum, sinistrorsum, & in gyrum agatur. Obseruandum tamen est, hunc statum priuationis, nec naturalis, nec supernaturalis modi esse; sed in eo animam ad status supernaturales immediatè disponi, & medium, ac dispositionem necessa-

riam esse, inter naturalem, ac supernaturalem modum operandi, eaque de causa statui vnionis immediatè præponi.

Secundo verò secundum libertatem, qua à grauissima, tardiosissimaque animi pressura, atque amoris dura captiuitate, absoluitur; quando status priuationis finitus, in se ipso fundum suum, in primo principio dilectionis defœcatum, receperit, & supremum illud vnum, tam crebris suspirijs, amorisque passionibus desideratum, obtinuerit: eò amplius hanc libertatem sibi vendicans, quò altius in statu vnionis, paulatim suprema conscenderit, per donum intellectus.

Tertio, iterum secundum optatissimam seruitutem, postquam videlicet summa ascensus vnitui conscenderit, & in fundo, centroque soleitatis spiritualis, dono sapientia repletus, tanquam à Domini spiritu, per donum sapientia, de claritate in claritatem, statum Transformationis descendens, affecutus fuerit. in quo deinceps, vt in vmbra diuinæ fruitionis, in qua Deus vt Terminus à Quo, scilicet semper primi principij locum sibi vendicat, continuamq; præexistentis huius beatitudinis amicitiam, communicat, à summis ad media, per eaque ad infima, singillatim omnia æternitatis spatia, pertransiens: nec non superiorum, inferiorumq; potentiarum, & operationum subordinatissimam concordiam, angelica ferè suauitate porrigens.

Nn 3

Quar-

a S. Dion. de Diu. Nom. c. 2. § 9. b Rich. de 4. grad. char. viol.

Quarto, denuò secundum libertatem, status Transformationis ascendens; quando in infimis tandem obumbratio fructiva, in toto, à captiuitate illa cœlesti, remiserit; tandem statum perfectæ libertatis consequitur. vbi quantò liberius ex imis, & centralibus ad spiritualia, & suprema conscenderit; tantò etiam amplius ad circumferentiam totius compositi, scilicet animæ, & spiritus, diuinæ amicitia vnguenta, benignè distribuet, donec in summo huius Transformationis ascensu, Deū quem semper vt Terminum ad quem, & vt vltimum, & perfectissimum suæ operationis, in summa spiritus libertate obtinebat; denuò per modum primi principij, & termini à Quo (præexistentia fructiva,) possideat, ab eoque amorosa captiuitate, vitam, & halitum suscipiat. Et cum vicissitudo hæc, vtriusque scilicet modi Transformationis; (maiori tamen charitatis intensione) per optatissimam illam diuinam, & libertatem, & seruitutem, sufficienter viatorum perfectioni, & merito, cum dono habitus supernaturalis sapientiæ, prospiciat; ad praxin, vltiores, & sublimiores status, non ponimus.

Quinto tamen sequitur status Viatorum sanctorum, qui in perfectissima spiritus Sancti captiuitate, gratia miraculorum, dono prophetiæ, fidei certitudine, visionum, & reuelationum magnitudine, Ecstasis, raptusque altitudine, & huiusmodi specialibus diuinæ amicitia signis, sanctitatis prærogati-

ua, dignati sunt. de qua (cum nostram experientiam longè præcellat) pauca tantum, eaque ad maiorem præcedentium notitiam, nec non cautelam eorum, qui satis humiliter non sentientes, vltra fortem sese erigerent, dicemus; & infra Finaliter autem pro totius operis perfectione, accedet status clara visionis; de quo, in hac vita sublimiores scholasticos dicere, at in futura vita, Beatos profundissimè frui, sinemus, hac breuitate, & quo ad fieri potuit ordinata summa: (statuum diuersitatem, pro vt ad perfectionem, & decorem Ecclesiæ Dei pertinet) exposuisse, contenti: cum verò mystica, vtpotè occulta, præ nimia sui subtilitate vix dici, & ab inexpertis vix credi, possint; consequenter dicendum erit,

*Quale iudicium possint ferre Scholastici, de
statibus modi operandi superna-
turaliter.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Quidam audaculo ingenij pruritu, in iam enumeratos supernaturales status, diuinissimaque mysticorum scriptorum documenta, immatura eruditae nonnunquam exanderunt; turpiter, quod primo quidem scire oportuisset, ignorantes, paucissima à Catholicis fuisse conscripta, quæ pia interpretatione defœcato animo, non sint quam maximè salubria. Vnde etiam [in Theologia mystica b multa
repe-

a Dec. 9. b Sande. Theol. Myst præfat. ad lect.

reperire est, quæ vulgus non capit: multa quæ profanè doctis paradoxa videri possint, multa quæ admirationem pariunt: nihil, quod si benè intelligatur, & piùm habeat interpretem, ac explanatorem minimè malignum; falsitatis, aut impietatis titulo meritò condemnari debeat addo: nihil, quod cum Philosophorum, & Scholasticorum enuntiationis non probè conueniat.] præsertim si obseruetur *a* [cuiuslibet videri se hoc ipsum esse, quod est optimum in se.] & inusitatos etiam loquendi modos, eiusmodi optimum quod in se esse sentiunt, ne quidem sufficienter, explicare. Quia ergo [illa potentia *b* quæ est affectus, & supremum in hominis spiritu, Spiritui Sancto immediatè amoris vinculo est vnibilis: vt est supremum in spiritu, quasi ab omnibus ignoratur, nisi ab illis, in quibus ab igne sancti Spiritus, immediatè affectus tangitur, & mouetur:] hinc non possunt Scholastici, de occultis perceptionibus mysticorum, ita securè, sicut de veritate reuelata (qua æquè solidè, vt ex principijs per se notis argumentantur) iudicare; aut diuinissimas vniones æquiparare, [modo contemplationis communi, *c* & Scholastico; qui est per modum inquisitionis, & eleuationis paulatim ascendens: incipiensque per exercitium ab inferioribus, ad superiora.]

Possunt tamen eiusmodi mystico-

rum profunda [perlegere, dummodo credant eis. alioquin *d* ipsi talia scrutantes, deficerent scrutinio; & non nisi laqueos infidelitatis sibimet acquirerent, & densioribus tenebris circumvoluti, cæcarentur.] in arcano enim amore [comparantur docti Philosophi pueris, qui attentè legunt litteras aureas; sed *e* quid litteræ significant, non intendunt.] ideo primum quidem [lectorem finuito, ne fortè credat quod sibi sufficiat lectio sine vnctione, speculatio sine deuotione, inuestigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine charitate, intelligentia sine humilitate, studium absque diuina gratia, speculum absque sapientia, diuinitus inspirata.]

[Nec quisquam ergò minus perfectus spectatum veniat. *g* Vt enim ijs, quibus valentes oculi non sunt, aduersus radios solis intueri periculosum est; sic perniciosum est, ea quæ supra nos sunt, aggredi,] quia nimirum [diuina omnia *b* quæque nobis patefacta sunt, ex solis communionibus intelliguntur. ea autem qualiacunque sint, principio suo, atque sede, mentem, omnemque essentiam ac scientiam superant.] possunt insuper præclariore Scholastici, iudicium ferre, num scripta cum bonis moribus probè conueniant; num etiam fortè aliqua hæretica prauitate infecta sint; neque enim de-

a S. Thom. 1. 2. q. 3. a. 5. c. *b* Theol. Myst. apud S. Bonau. *c* Harph. l. 3. p. 1. c. 8. *d* Gerf. Theol. spec. conf. 8. *e* S. Bonau. Diata sal. tit. 6. c. 3. *f* S. Bonau. in prol. Itin. ment. *g* S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. *h* Idem.

sunt hæretici, qui de rebus mysticis, & diuinitatis fruitione scripserunt. porro quam deuotè, Scholasticorum nonnulli, de mysticorum negotio, loquuti fuerint, hic consequenter dicemus,

Pientiores Scholasticos de mysticis, & rectè sentire, & à Deo deuotionis solamine dignari.

ARTICVLVS QVINTVS.

Longè deuotiori animo, vt cum [a præstanti summarum naturarum ordine, ea quæ altiora profundioraque sunt, quam quæ intelligere possunt, reuererentur:] de rebus nostris, sentiunt pientiores viri, quibus cum sacra doctrina, credita sunt eloquia Dei. vndè [patet; inquit, Lessius, non esse b contemnendos scriptores mysticæ Theologiæ, etiamsi ea, quæ ipsi scribunt, nos non experiamur; quia cum multorum sint viri Sanctissimi, & omnibus virtutibus ornatissimi; non facillè putandum, eos decipi: cum omnia quæ passim de suis experientijs scribunt, facillimè fieri, & explicari possint; & alibi, [modum amoris, inquit, c qui impellit ad vnionem, per quandam liquefactionem, & demersionem in abyssum diuinitatis, interdum experiuntur viri Sancti contemplationi dediti; qui etiam vt sensum exprimant, vtuntur subindè quibusdam loquendi formulis, quæ

benignè sunt intelligendæ. vt quod amatorij spiritus in Deum altissimè subleuati, liquecant, & defluant in incognitam caliginem, amittant se ipsos & perdant in abyssu diuinitatis, transeant in esse increatum, ac ideale; in quo fuerunt ab æterno: fiant vna simplex beatitudo, vnum amoris incendium cum Deo. non enim hæc ita accipienda sunt, quasi per amorem, re ipsa, amittant suum esse creatum, & mutantur in diuinitatem; sed alio modo, idque dupliciter. primò quod ista fiant, quantum est ex vi affectus. summus enim amor ad summam nititur vnionem, & si fieri posset ipsum amantem conuerteret in amatum, vt ipse se totum illi perfectissimè impendat, & vniat. Secundo quod ista fiant iuxta sensum, & perceptionem contemplantium, præsertim in hac vita. ita enim amore accenduntur, vt sibi quasi deficere, & liquecere videantur: & ita potenter trahuntur in abyssum diuinitatis, vt in illum veluti demergi, & absorberi videantur, & se ipsos in illa perdant, adeo vt suum esse creatum ibi non sentiant, sed solam Dei essentiam.] pio insuper affectu Crodicus Mystica Scholasticis, præfert, [d si mihi, inquit, optio d daretur, quam citò laboriosam istam nostram innumeris inuolutam quæstionibus, quam in scholis profitemur scientiam, commutarem cum sapida illa notitia, quam simpli.

simplices Eremitæ, deuotæque Virgines habuerunt; eligerem sane hanc, præ illa, etiam acutissima.] piè enim aduerterunt viri docti, non minus Theologiam mysticam, quam aliam quamlibet artem, & suas phrasas, & dicendi formulas, sibi vendicare: & [Catholicè debere accipi]

Et certè, dato quod Scholasticus, aliqui pius, non nisi inferiorem aliquem, aut etiam nullum statum, in mysticis sit affectus; de superioribus tamen, & supernaturalibus statibus, speculatiuè saltem potest bene-affici; & à Deo deuotionis solamine dignari. nam [ex hoc ipso quod veritas est finis contemplationis, habet rationem boni appetibilis, & amabilis, & delectantis.] vnde & actiones contemplatiuæ non sunt propter alium finem; sed ipsæ sunt finis. idè etiam propter se ipsas sunt diligibiles, nam finis illarum est ipsum e scire.] confirmant hoc ipsum plurima de vltimis, & supernaturalibus statibus, imò de ipsa cœlesti beatitudine, copiosè à diuersis Scholasticis conscripta; in quibus quia sapientia bene vsi, participes quoque amicitia Dei facti sunt; & tum alieno instituto, tum solatio proprio, plurimum contulerunt. Poterit ergò quilibet, cui id bona ordinatio passionum, & virtutum integritas permiserit, pro ingenij sui acumine, de Deo vt primo ente delectabiliter

contemplari; ac cæteris vtcunq; prodesse, eorum quæ didicit communionem: eisque tantò vehementius in se ipso bene-affici, quantò [delectationi f quæ est in considerando, nihil est contrarium.] [in vita enim g contemplatiua, quæ consistit in actu rationis, per se, & essentialiter inuenitur pulchritudo. Vnde sapientia octauo dicitur, de contemplatione sapientia, amator factus sum formæ illius.] ad exercitium verò practicum ordinatè instituendum, & perficiendum plura requiri, ex sequentibus clarum fiet;

Perfectum tamen iudicium de supernaturalibus modis, præquirere scientiam, praxin, & longam experientiam.

ARTICVLVS SEXTVS.

Sicut Scholasticorum, sic & mysticorum quidam, circa diuinæ vniõnis communionem, hallucinati sunt; dum in ijs quæ posteritati dederunt, in tantum theoriam, cum praxi inuoluram reliquerunt, vt mysticum exercitium, ad ordinatam praxin, etiam summa diligentia conquistum, vix erui possit: ve etiam dum Scholastica disciplina minus instructi, vehementiam affectus sequentes, talibus loquendi modis, & verbis vsi fuerunt;

O o quibus

a Vi. fusè Andr à Iesu Disc. Elucid 1. p. c. 6. & 7. b Praef. in lib. 3. Harth. c S. Thom. 1. 2. q. 13. a. 3. ad. 1. d S. Thom. l. 3. contr. Gent. c. 2. e Ibid. c. 25. f Aristot. 1. Topic. g S. Tho. 2. 2. q. 180. a. 2. ad 3.

quibus non immeritò in doctrina sacra eruditos, subinde ad stomachandum commouerunt. Vndè licet, quod [sapientia causam suam, nimirum charitatem *a* in voluntate habeat,] & in ea mysticus rudis, doctissimum virum superet; [ipsa tamen sapientia secundum essentiam in intellectu existit, & per eam intellectus de omnibus rectè iudicat] in quantum per regulas diuinas diiudicat, & scrutatur omnia etiam profunda *b* Dei. [superior namque pars rationis *c* sapientiæ deputatur, inferior autem scientiæ superior autem ratio, intendit rationibus supernis, scilicet diuinis, & conspiciendis, & consulendis. conspiciendis quidem secundum quod diuina in se ipsis contemplatur. Consulendis verò, secundum quod per diuina iudicat de humanis actibus, & per diuinas regulas dirigit actus humanos.] quæ quidem omnia, si cum practico fructu fieri debeant, etiam scientiam requirunt.

His accedit longa vitæ spiritualis praxis, & experientia. experientia quidem; si enim *d* [omnes homines dicunt mihi, hoc esse dulce, per hoc non habeo notitiam experimentalem, quantumcunque etiam probent per rationes, sed opinionem, vel fidem, vel scientiam possem habere: sed si gustus meus attingit gustabile,

vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. similiter & de gustu interiori, & alijs sensibus spiritualibus. vndè si ego lego, vel audio, vel aliquo quod dulcis est Dominus, per hoc non habeo notitiam experimentalem, nisi gustus spiritualis attingatur à dulcedine diuina: vt dicat cum sponsa, fructus eius dulcis gutturi meo. vbi loquitur de gustu spirituali, vt patet in Glossa, & ista notitia experimentalis perfectissimorum est.] intentionem enim mentis prærequirit unionem. atque ita [sapiens *e* dictus est à sapore; quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum; sic sapiens ad dignoscendos lapores rerum, atque causarum aptus est.] accedat sapientia per causas altissimas, & æternas sua probat; scientia verò per inferiores, & humanas duntaxat.

Praxin verò diutinam etiam vel ipse sacer Dionysius, [exemplo magistri sui Hierothei commendat; quod scilicet multa *f* exercitatione, diuturno vsu, & diuino instinctu, hanc felicitatem sit affecutus.] Et certè si [vix in vltima *g* ætate, homo ad perfectam speculationem scientiarum, peruenire potest,] quantum magis opus erit *h* numero dierum vitæ suæ, ad hoc vt animum suum quis transferat

a S. Tom. 2. 2. q. 45. a. 1. c. 2. in c. *b* 1. Cor. 2. *c* S. Aug. 12. de Trin. c. 14. *d* S. Bonau. 6. Itin. ater d. 1. *e* Isidor. l. 10. Etym. *f* S. Dion. de Diu. num. *g* S. Th. l. 3. cont. gent. c. 48. *h* Eccles. 2.

ferat ad sapientiam, devertetque stultitiam: de his postmodum aliorum utilitati prospecturus. hæc tamen non aduersantur ijs quæ supra dicta sunt: aliud enim est in praxi circa annum septimum gratia modi operandi supernaturaliter per donum intellectus, & circa annum duodecimum ad statum Transformationis per donum sapientiae promoueri; aliud in his ita excellere, ut alijs doctrina, & practica instructione prodesse possit. hoc enim præter praxin propriam, scientiam, & longam experientiam requirit. ne autem terminis nostris, & loquendi modis, quispiam abutatur, consequenter monemus,

In explicandis operationibus supernaturalibus, terminis egeitatis, ipsitatis, identitatis, & similibus, sobriè vtendum esse.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Scholasticorum rigore satis constat, quod [in rebus *b* creatis non sit idem suppositum, quod sua natura: nec idem homo, quod sua humanitas; sicut Deus est sua Deitas, Ipsitas, Egeitas, & Identitas:] in mysticis tamen operationibus perfectissimis, & pro vt vicinissimè diui-

nitati vniuntur, explicandis; subinde vtimur terminis similibus, eò quod propter arctissimæ vnionis vinculum, quo præstantiores mystici vnum sunt cum Sanctissima Trinitate, sicut Christus in Patre, & Spiritu Sancto vnum est; nihil videatur esse disunctionis; non quidem ex parte rei, & hypostaticæ vnionis; sed ex parte communionis diuinæ naturæ, in intimissimo spiritus mystici: secundum quam [quilibet videtur esse id, quod est optimum in se.] atque ita, & non aliter intelligendi sumus, circa dictos terminos. & certè si [anima id *d* solum sibi videtur agere, quod agit cum difficultate, aut agit cum timore.] quantò magis, videbitur id solum agere, quod agit cum supernaturali amore, & operandi conditione.

Iure meritò *e* ergò benignè accipiendi sunt termini, & mysticæ locutionis modi; præsertim quod [Theologia mystica, sicut & quælibet alia scientia, vel ars, proprias, & reconditas phrasas, aut locutiones sibi vendicat.] vnde [cognitiones experimentales de Deo interius, vocant sancti varijs nominibus, sicut pro rei veritate multiplicatæ sunt super numerum. *g* Vacant enim contemplationem, Ecstasin, raptum, lique-

O o 2

factio-

a Paraphr. 5. artic. 6. & Parap. 8 artic. 7. *b* 3. Thom. prima part. quæst. 3. artic. 3. *c* 1. 2. quæst. 3. arti. 5. c. *d* S. August. lib de quantit. ani. cap. 35. *e* Vt hic art. 9 *f* Vt latè Nicol, à IESV Elucid. part. 1. c. 6. *g* Gerson. Theologia Mystica spect. conf. 2.

factionem, transformationem; vnionem, exultationem, iubilum.] quia nimirum [operationes *a* interiores praesertim in affectu non ita clarè proferuntur, nec ita possunt scriptis tradi, sicut sentiuntur, & hæc est ratio quare Apostolus dixit, se auduisse arcana verba, quæ non licebat homini loqui, quoniam illa minus poterat tradere [Beato Dionysio Exempli Gratia] quam acceperat; rursus Beatus Dionysius plus concepit ex verbis Apostoli; quam scriptis derelinquere fas habuit.] cum autem præ cæteris terminis, frequenter termino fruitionis utamur; nemo tam ignarus creditur esse, qui fruitionem mysticam pro fruitione patriæ, & gloriæ velit accipere. nam nostra [fruitio *b* est amantis in amato quietatio] tantum; amantis scilicet animæ, in amato scilicet Deo, ut summo Bono; siue amoris modus sit naturalis, siue supernaturalis, supremè, mediè, vel intimè intensus. Et ut certius aliquid constet de summo status, & operationis, cum non modica inter practicos eminentiores, de mystico summo sit sententiarum varietas, consequenter dicitur,

Perfectionem mysticam non consistere in eo, ut quis maneat in summo semel adeptus, summi status; sed ut in Nunc operationis, perfectius adhaereat Deo.

ARTICVLVS OCTAVVS.

AD veram, & realem praxin, seu exercitium actus, cum plena, & perfectè ordinata fruitione consortij diuinæ naturæ, obtinendum; nil vltimè adeo necessarium esse videtur; quam scire, & diligenti cura obseruare, perfectionem mysticam non consistere in eo, ut quis maneat in summo semel adeptus summi status alicuius, scilicet vnionis, vel Transformationis; aut etiam eminentioris, eorum scilicet, qui *c* sanctitate, miraculis, præstantioribus gratijs, & donis supernaturalibus à Deo dignantur: sed ut in Nunc præsentis perfectius Deo adhaereat, & summè conformiter se habeat ad diuinam voluntatem, pro cuius veritatis elucidatione, varia summi acceptio distinctione accuratiori examinanda erit.

Et primo quidem summum accipi potest, secundum quod aliquis, ex sollicita mysticorum lectione, & diuino, seu multorum annorum exercitio, tandem sibi ipsi modum aliquem constituit; quo semper tanquam generali auxilio, & vniformi, eodemque modo agat, seque ab omnibus denubet, expediatque; per continuam scilicet negationem eorum quæ sunt, & quæ non sunt, absque noticia, & vlla cura ad continuas vicissitudines interiores,

a Gerson. *Ibid.* conf. 6. *b* S. Thom. 1. 2. q. 4. a. 3. c. *c* Inf. de eis. 9.

fiores, (secundum quas tamen omnibus mobilibus mobilior Dei sapientia, dispositiones, & cooperationes nostras, ordinata successione requirit.) incessanter omnia negando, & transcendendo, vsque ad nouissimum intellectus; in quo tandem, vel in non operari, vel otio aliquo intellectuali, vel impertinens aliquod phantasma actionis euanescit; totius compositi, seu hominis machina in obscuro pondere persistente, & tam durante quam finita eiusmodi negatione, de diuinis communionibus nihil, aut modicum participante. intellectus enim agens per tales indifferentes, & generales negationes, cum in pura sua naturali actiuitate, & speculatione duntaxat foueatur; non potest speciem aliquam, ad Nunc præsens, cum vitali in Deo afficientia, consequi; nec voluntatem, diuinæ dilectionis subiectum attingere, ac multò minus alijs potentijs, & inferiori massæ, diuinis bene-afficientias communicare. summum tamen eiusmodi negationis, & transcendentis modus, illis qui in incertum currunt, & in pugna sua aërem verberant, dicitur; eò quod sese taliter supra se, & ad summum vsque sui, eleuent. Verùm quia tale summum in naturali contemplatione, primi, & summi entis consistit, & hominem in natura vitiatam non reparat; ita vt in reali, & solido exercitio vitæ internæ potius speculatio quædam sit, & in vanam complacentiam intel-

lectualis oblectationis deducat; ad vitia, illusiones, & pericula contemplationis modi naturalis, de qua supra dictum est, reijci debet. quandoquidem [voluptas *b* quæ ex spiritus dulcedine fluit, quaque nobis ipsis maximè placere solemus, magis nutriat amorem nostri, quam illecebræ rerum mundanarum.]

Secundo accipi potest summum, quando post dictas negationes, non fititur in nuda speculatione, primi Entis, seu Pulchri, per ipsam contemplationem delectantis; sed tandem circa nouissimum intellectus, & cum persuasum habetur intellectum sufficienter à phantasmatibus purgatum, & illustrationibus perfectum, ad voluntatis inflammationem, & amoris excitationem proceditur. atque hoc illis quidem summum est relinquendum, qui per proprias species ad Nunc instans ordinatè se habere, & nesciunt, & ob modicam reparationem vitiatæ massæ, necdum omnia pro vt sunt bona valdè, & pro vt particula quædam sunt primæ bonitatis, accipere, & fouere possunt. horum autem summum à præstantissimo, ac summo illo negationis modo, de quo Dionysius *c* loquitur, & ipsi inani opinione se habere, sibi ipsis persuadent, nimis quam longè distat. Vult enim Timotheum clarissimum pro maxima qua valet mysticorum spectaculorum exercitatione, primo quidem sensus,

O o 3 &

a Prima p. Dec. 7. & 8. *b* Rosing. lib. 5. de Disc. Christ. perf. c. 6. *c* Theol. Myst. c. 1.

& mentis actiones, & ea quæ non sunt, & quæ sunt omnia prætermittere: Secundo autem libero, solutoque, ac liquido à se, & ab omnibus discessu, ad Eius qui omnem scientiam, & essentiam superat coniunctionem excitari: Tertio verò ut ibidem paulò inferius insinuat, omnium, cùm primæ causæ, tanquam quæ omni negationi, & affirmationi antiquior sit, & antecellat. vniri: ita ut modus affirmationis vel negationis, dispositio, seu præambulum sit duntaxat, supremæ vniõnis, illiusque summi; de quo nos hic in quinta acceptione agimus. qui ergò post negationes continuas tandem in affirmationem pergit, is certè ad tale summum non peruenit, cum exercitatio voluntatis eius summum sit; in ordine autem ad Dionysij summum non nisi præambulum sit, & dispositio. Cæterùm in praxi mystica vel manibus palpare quis poterit, nonnullos ingenio sagaces, intellectu subtiles, ac animo elatos, cæcæ suas negationes, & sine vllò delectu, ordine, ac consecutione transcendentias intellectuales, vixque tandem aliquando in voluntatis inflammationem pertinentes; vsque ad eò magnificare, & superexaltare, ut nemo quidpiam ipsorum iudicio bene agere videatur, nisi quem in speculationes suas quoquo modo attraxerint. sunt insuper intellectualium istorum hominum vitia, in spiritu elationis vsque ad eò radicata, ut vix in vllò humanæ imperfectionis genere, quispiam tantum

deprimatur; quantum ipsi periculi subeunt, ne gratijs, & donis sibi concessis abutantur, & propria complacentia superexaltati, cum Lucifero in præcipitium collabantur. intellectus enim agens, inani speculatione nimis occupatus, in tantum spiritali abstractione abducitur, ut ad utilitatem, & fructum mysticæ vitæ, reparationem scilicet vitiatæ naturæ, per humilitatis, cæterarumque virtutum studium, modicum attendat. vndè etiam vbi iactura propriæ æstimationis, honoris, & vanæ gloriæ, istiusmodi spiritalium hominem contigerit, non virtutis studiosum; sed quasi dira passum intueri licebit. & tale summum, cum tam in reparatione vitiatæ naturæ, quam in ordinatis, & consecutiuis operationibus spiritus deficiat; deceptionibus plenum est.

Tertio accipi potest aliquod summum, pro ordinario, & summè virtuoso modo Deo adhærendi continuo, per viam essentialis resignationis, ita ut indifferenter omnia de manu Dei accipiat; siue illa summa, siue infima, dulcia, vel amara fuerint. & hac quidem perfectione posita, mystica erunt omnia bona valdè. Verùm quia exercitium resignationis, magis in penuria actualis vniõnis, humilem Dei subiectionem, quàm vitale consortium diuinæ naturæ respicit, ac etiam in adepta actuali bene-afficientia; adhuc tamen ignorat, an ad eius perfectionem, & continuationem, sursum vel deorsum, dextror-

trorsum, vel sinistrorsum, eundem sit: procul adhuc distat, à charitate in actus exercitio ordinata, qua homo spiritualis diiudicat omnia, & perficiendo distribuit, vt sciat quæ à Deo sibi donata sunt.

Quarto accipi potest summum respectiue, scilicet ad inferius, & sic quod est infimum respectu supremi, est supremum respectu infimi; tale autem summum in qualibet regione, aut situ mentali reperitur. sicut [in ordine Hierarchico & Angelorum tres sunt principales ordines, horum quolibet in tres alios subdiuiso.] vnde qui in infimo sunt medij, supremi sunt respectu infimi. ita quoque mysticus ordinatè instructus, & procedens, dum in inferiori regione, aliquamdiu versatus est, per reflectionem ad præterita, & infima, se superiorem inuenit. & dum in medio versatur, superiora intuetur in infimo; dum autem inferiora respicit, in summo est. [inferius. b enim non attingit superius nisi in summo] sed hoc non est summum, nisi impropriè, & respectiue.

Quinto accipi potest summum absolute, pro vt scilicet, per continuum ascensum, ad ipsius status altissimas regiones, earumque consummatam eleuationem, cui etiam nil amplius superius, & magis altum sit; perfectè conscenditur: neque tamen in hoc etiam summo perseverantia collocari potest.

Primò quidem, quia in tali summo non inuenitur stabilitas, scilicet adæquatè perfecta. vnde licet summum spiritus diuini, in ascensu, & descensu Transformationis, vel ad decem annos duraret; hoc tamen non contingit ita adæquatè; quin & ipsa cum Deo familiaritas, in spiritu puriori; & specierum, ac similitudinum in superioribus, & inferioribus viribus, resultantia, maiorem suam perfectionem assequatur; fiatque repræsentatio subtilior, & à phantasmatis defœcator. facillimè autem hoc loco aliquis decipitur, credens se in summo semel adepto semper manere, eo quod secundum viuacitatem substantialem, & vitalem bene-afficientiam diu daret: si præsertim mysticus ignoret particulares, & ordinatas vicissitudines, quæ continuo, & omnidie, pluriesque in vno die intensiores, & remissiores in operationibus instantaneis, peraguntur. tunc enim & secundum generalem, & confusam praxin durare potest, ab eo tempore, quo in ascensu in seipso, seu proprio spiritu insignem viuacitatem, & diuinæ naturæ vitalem bene-afficientiam consequitur; vsque ad descensum fructuum & disparentiam eiusmodi viuacitatis: quod quidem in vltimis, & perfectis statibus, fortè intra decem vel plures annos non fieret, & mysticus interea morte sublatus sibi perseverantiam sui summi persuaderet.

Secundò

a S. Dionys. passim & Scholastici. b S. Thom. lib. 1. Contr. Gent. cap. 57. c Vt latius hie varr. 9.

Secundò verò non potest eiusmodi summum semel adeptum perseverare, quia est contra rationem utilitatis mysticæ, quam in eo diximus esse sitam, ut reparatio massæ vitiatæ ex redundantia familiaritatis, & fruitionis diuinæ reparetur, & ad felicitatem status innocentiae quantum ad subordinationem passionum, puritatem intellectus, & rectitudinem voluntatis in Dei dilectione pertingat: id quod minimè fieri posset, si in summo perfectissimi status semel adepto perseveraret. [tum enim b homo nimis absorptus inutilis foret ad quævis agenda:] nec posset ex tentationibus, & rebus aduersis probari ad augmentum meriti; magisq; in Diuinæ naturæ felicissimo consortio præmij, & beati; quam meriti, & viatoris rationem haberet: quod constanti perseverantia huius vitæ, & fragilitatis humanæ conditiones omninò excedit.

Quia nimirum [c rarum est valdè in montem Domini ascendere; sed multò rarius in eius vertice stare, & ibi moram facere: rarissimum autem ibi habitare, & in monte requiescere, & quidem [inhærere Deo iugiter d & contemplationi eius inseparabiliter copulari, impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato.] [quis enim e vnquam, (quamuis præcipuus omnium iustorum atque Sanctorum) huius corporis vinculis colligatus, summum hoc Bonum, ita possidere

potuisse credendus est, ut nunquam à diuina contemplatione discedens, nec paruo quidem tempore ab eo, qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur affectus, qui vnquam vllam cibi, vllam indumenti aliarumue carnalium rerum gesserit curam, nunquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellulæ structione sollicitus, aut operam aliquam humani concupierit adiumenti, aut inopiæ sterilitate vexatus, illam sententiam Dominicæ increpationis incurrit: ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, nec corpori vestro quid induamini. Denique ipsum illum Apostolum Paulum, qui omnium Sanctorum laborem, passionum numerositate transcendit, nequaquam hoc implere potuisse confidenter adstruimus, ipso in Actibus Apostolorum Discipulis attestante: ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ, vel cum Thessalonicensibus scribens in labore, & fatigatione nocte, & die operatum se fuisse testatur: quibus laboribus licet magna eidem meritorum stipendia pararentur, tamen mens eius quamuis sancta, atque sublimis, non poterat non ab illa cœlesti Theoria intentione terreni operis aliquando diuelli.] [f fatigatio itaque, & occupationes variæ, quibus necesse est contemplationem nostram in hac vita

a Hic art. 13. b. S. Thom. c Richard de Prap. ad Cont. c. 76. b Cassian. Collat. x. cap. 14. e Pridem collat. 23. c. 5. f S. Thom. l. 1. Contr. Gent. c. 102.

vita interpolari: insuper errores, & debilitationes, & casus varij quibus subiacet præsens vita,] satis ostendunt actionum nostrarum inconstantiam. Præterea cum charitas in usu, & exercitio actus se habeat, [sicut digestio a cibi,] oportet vt facta digestionem, & alimentum absorptionem, propter debilitatem virium, aliud alimentum, & cibum subsequatur. & ideo quando mysticus suum summum absoluit per subordinatas ascendentes, vel descendentes regiones, earumque congruas actiones; ita vt [insigniter profecerit in aliquem b nouum actum, vel nouum statum gratiæ, tunc secundum illud augmentum gratiæ attenditur, & datur missio inuisibilis Spiritus sancti ad illum.] quod ita, de nouo per succedentes, & ordinatas vicissitudines c varietates, ac per particulas (vt ita dicam) operationum, seu verborum mysticorum, minutim, & transitoriè accipiat; quod Deus infinita sua magnitudine, & æterna duratione, possidet.

Sexto accipi potest aliquod summum, secundum modum operandi; ita vt in arcana, & supernaturali Dei amicitia continuo magis subtili, & substantiæ spirituali magis conformi modo, operetur; ac [vniformitate d conformi Angelis, & prætermittis omnibus in sola Dei contemplatione persistat.] siue operatio, secundum quod versatur in aliquo summo respectiue,

vel absolutè, sumatur; siue secundum quod est in Nunc actus exercitio, accipitur. & tale etiam summum, dum peregrinamur à Domino perseverare non potest,] quia nulla actio in suo summo e diu durat.] & [Deus semper excitat ad ea, quæ sunt f ante.]

Et ideo [perfecti etiam g in charitate proficiant; sed non est ad hoc principalis eorum cura: sed iam eorum studium circa hoc maximè versatur, vt Deo inhæreant,] & nouo semper modo non desinant ad Diuinam voluntatem conformiter se habere; ne cessent per ordinatas vicissitudines appropinquare, qui tenacissimè summo inhærendo, neglexerint vtilius in inferioribus inquirere. [prudentia enim purgati animi h est, diuina, non quasi in electione præferre, sed sola nosse; & hæc tanquam nihil aliud sint intueri.] quod quidem summum, ceu perfectissimum Deo adhærendi modum, proprium, & accommodum Nunc operationis in actus exercitio, esse, dictum est i infra; ita vt in eiusmodi Nunc operationis ex spiritu in potentias tam superiores, quam inferiores, magis vel minus, in Deo vicinum existere, influat. nam [secundum naturæ ordinem propter k colligantiam virium animæ in vna essentia; & animæ, & corporis, in vno esse compositi; vires superiores, & inferiores, & etiam corpus, & anima inuicem in se influunt, quod in aliquo

P p

eorum

a S. Thom. 22. q. 24. a. 6. c. b 1 p. q. 43. a. 6. ad 2. c ibi expositiones & in 1. dist. 15. q. 5. a. 1. questione 5. & a. 2. q. 1. c inf. Det 6. d S. Thom. 22. q. 180. a. 6. ad 2. e Ibid. a. 8. ad 2. f S. Dion. de Diu. nom. c. 4. g 22. q. 14. a. 9. ad 3. h S. Bonau. de hom. Eccl. 1. 1. Det. 6. a. 1. 2. 3. 4. k S. Th. de verit. q. 26. a. 10.

eorum abundat.] [in omni enim *a* composito, bonum non est huius, vel illius partis; sed totius.]

[Substantijs itaque separatis, quæ non habent *b* aliam operationem vitæ, quam intelligere;] & velle, concedendum est, quod semel summo sui status, meriti, & præmij, adepto; in eo quoque completa, & perfecta duratione, ac operatione persistent. nobis autem [cum desit naturalis constitutio conuenientiæ, aptæque compositionis ratio, eodem *e* modo se habens;] humiliter ferendum est: quod à summo tum status, tum Nunc operationis, ad *lucrum* nostrum relabamur: ita tamen vt [nunquam ex intentione voluntatis; sed sola, interpolatione *d* necessitatis, acies mentis ab æternis, & summis spectaculis, defleat.] [& sic licet quamdiu grauis carnis huius mole deprimimur, impossibile nobis sit in eodem semper animi vigore, ac in Deum suspensione persistere; quisquis *e* tamen bonus, mox vbi ad inuilia sese conuersum deprehendit ab eis ilicò sese cum magna sui ipsius, ac instabilitatis suæ dedignatione auertit; & quia sine animi affectione illis intendebat, ideò citra difficultatem ab illis auertitur, quippè qui ad introuersionem quam extrouersionem propensior est] & in Nunc operationis perfectè Deo adhærendi, laborem suum impendit, vt latius habetur supra *f* & quamuis in Nunc

operationis summo, nemo diu persistat; in summo tamen status supernaturalis hoc locum non habere ex sequentibus magis colligere licebit,

Quamdiu probabiliter duret vnus status supernaturalis secundum vniuersalem vt plurimum modum operandi.

ARTICVLVS NONVS.

Actiones vitæ nostræ, cum annuis temporibus, mensibus, diebus, horis, ac momentis absolui, sentit quotidiana experientia: voluntatis appetitum citius intellectu dari, probant infantium gestus; intellectum eum maturo iudicio, circa quadragesimum annu prius accedere, ad communem praxin docent *g* nonnulli; certis *h* annis finitis Regi Persarum ab Angelo auxiliu ferri; Ezechielem ad prophetiam peruenisse; aliaue contigisse, narrat passim sacra Historia. [hoc enim quod dicitur quia in tricesimo *i* anno spiritum prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis considerandum: videlicet quia iuxta rationis vsum, doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. Vnde & ipse Dominus, anno duodecimo ætatis suæ, in medio Doctorum, in templo sedens; non docens; sed interrogans voluit inueniri.] atque ita non est quod aliquis miretur, si & in mystica exerci-

a S. Th. Contr. Gent. l. 1. c. 18. *b* Contr. Gent. l. 2. c. 97. *c* S. Dion. de Dia. nom. c. 4. *d* Harph. ex Wercell. l. 1. p. 2. c. 46. *e* Taul. Instit. c. 16. *f* paraph. 6. & 9. *g* Taul. in Ascens. Dom. serm. 2. & Harph. l. 2. p. 3. & l. 3. p. 1. c. 4. *h* Dan. 10. Ezech. 1. *i* S. Greg. in Ezech. Hom. 2.

exercitatione, & anni, dies, & tempora labantur; priusquam aut supernaturales status attingantur, aut eidem cum annis, (ordinata successione,) perlustrentur. ideò etiam [seruus *a* Hebræus emptus, sex annis seruire præcipitur, vt in septimo liber exeat gratis. quid autem per senarium numerum nisi actiuæ vitæ perfectio designatur? quid per septenarium nisi contemplatiua vita exprimitur? sex ergò annis seruit, & septimo egreditur liber; qui per actiuam vitam, quam perfectè exhibuerit, ad contemplatiuæ vitæ libertatem transit.]

Circa supernaturales porro status, variat in praxi duratio, priusquam mysticus tota sua capacitate, vel statum vñionis ab infimis, per media, ad suprema conscendat; vel in statu Transformationis, à summis per media, descendat; rursusque, ordinatè ad summa eleuetur: aliquando enim duobus, quatuor, sex, vel octo, annis, semel summa ascendit; vel ad ima reuertitur: posset etiam in aliquo cum Paulo quatuordecim annis, vel pluribus durare. ideò quando dicit, scio hominem in Christo ante annos *b* quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) potest intelligi quod à quatuordecim annis, & ab eo tempore quo Damascum proficiscens, in tertium cælum raptus fuerat; tanta reuelationum magnitudo, & rerum diuinarum fruitio exinde cohæserit, vt sive in corpore, sive extra corpus esset, ignoraret:

licet non continuò vsque ad eò intensè, vt stimulos carnis & humani corporis alterationes, non etiam sentiret; sed similia, aliaque laboris incommoda, & mala tam perfectè toleraret, vt illa cum [Sancto Ioanne Euangelista, potius *c* diiudicaret,] quam durè ferret.

Est insuper alia atque alia ratio durationis, ad paucos, vel plures annos: posset enim aliquis ita bono publico sese impendere, vt rebus mysticis minus accuratè, & frequenter intenderet. in quo quidem casu licet Benignissimus Deus [contemplationis bonum in alio *d* compenset;] hoc tamen non ita solet fieri, vt mysticus donum habitus supernaturalis modi, in charitate, tam cito digerat, & absoluat; sicut alius, qui omne, vel potissimum tempus interioritati concederet. pari modo, qui negligentius contemplationi supream vacaret, tardius profectò, diligentiore, ac feruentiore mystico, finem suo statui, & modo vniformiter operandi imponeret. cum [habitus per cessationem *e* actuum minuantur, flaccescant, vel etiam tollantur.]

Generaliter verò loquendo, constat, quod [habitus *f* secundum quem, quispiam ad se, vel in ordine ad alterum (sicut in mysticis fit) se habere dicitur, sit quædam qualitatis species, de difficili mobilis,] eoque ad tempus notabile perseuerans; certam autem durationem, quilibet in se ipso, aut altero, cui familiaritate spiritali coniunctus

pp 2

fue-

a Greg. *ibid* Hom. 3. *b* 2. Cor. 12. *c* S. Dion. *Epist. ad Ioan. Euang.* *d* S. Thom. *e* 1. 2. q. 52. *A.* 3. *c.* *f* *ibid.* q. 49. *A.* 1. *c.*

fuerit, experiri licebit. quam verò ordinato progressu status aliquis supernaturalis, perfectionem suam, assequatur; ex sequentibus magis clarum fiet;

Status modi supernaturaliter operandi, accommodato, & sibi proprio ordine, ab-soluuntur ad suum summum fruitione centrali, spiritus proprii, & spiritus diuini, & Contra.

ARTICVLVS DECIMVS.

EX his cum constet, neq; secundum statum, neque secundum operationes, etiam a qui seruiunt ei stabiles esse; iam videndum est quis ordo, & consecutiua annexio, sit nostrarum operationum, in aliquo doctorum statuum. cum itaque [amor sit *b* connexio & vinculum, quo omnium rerum vniuersitas ineffabili amicitia, insolubilique vni-one copulatur] [ordo autem *c* rerum sub diuina sapientia postulet, vt varij sint rerum gradus,] quorum diuina quidem iustitia sapientiae comes, non peruertat ordinem à sapientia ita dispositum, sed conseruet, ac propria superiorum munera inferioribus non distribuat; sed sua cuique pro natura confirmet, & pro dignitate rependat. cum tres insuper [caelestes illae Hierarchiae non dæqualiter superni radij influxum excipiant, sed per abundantiam diuini luminis participatione distinguantur;] nō solum [in summis, atque infimis mentibus; sed etiam in ijs quæ sunt e eiusdem

ordinis, hæc lex sancita est, vt in vnaquaque Hierarchia, & primi sint, & medij, & postremi ordines; inferiorumq; superiores doctores sint, eisq; quasi digito viam monstrant, aditumq; ostendant ad diuinitatem, illustrationē, atque consocietatem;] vndè hoc quoq; non immeritò potest addi, vnamquamq; [& caelestem, f & humanam mentem seorsum proprios in se continere, & primos, & medios, & vltimos ordines, atq; facultates; quæ eodem modo, quo superiores singularium Hierarchiarum illustrationum proprii ductus, enuntiantur: quibus vnaquæq; mens pro suo capitu, quam nitidissimæ purgationis, copiosissimi luminis, absolutæque perfectionis sit particeps.]

Et quum [ordo *g* charitatis accipiat secundum proportionē dilectionis ad diligibile,] hæc trinaria Hierarchiarū statuūq; subdiuisio, ad mysticum faciliorem intellectum [sub vitali sensu *h* sensuali, sensu rationali, & sensu diuino, completi potest;] aut dici mysticum versari in fruitione fundi, vbi animalis homo optimè ordinatus diuinos influxus suscipit, & in fruitione spiritus proprii, in quo suppositis inferioribus, ad spiritualia erigitur, ac in fruitione diuina, (vtraque præstantiore,) sublimatur. quod idem est ac dicere [spiritum sine *i* spiritu, spiritum in spiritu, & spiritum supra spiritum.] [Deum enim *k* contemplamur non solum intra nos, & extra nos, verum etiam supra nos.]

^a Job. 4. ^b S. Bonau. 4. Itin. iter. d. 2. ^c Harph. l. 3. p. 2. c. 16. ^d S. Th. 1. p. 9. 108. a. 1. c. ^e S. Dion. de Cal. Hier. c. 4. ^f Ib. c. 10. ^g 22 q. 44. a. 2. c. ^h Harph. l. 3. p. 4. c. 28. ⁱ S. Bon. Proh. Itin. iter. d. 3. ex Rich. ^k S. Bonau. Itin. ment. c. 5.

nos.] quia scilicet [potest aliquid pertinere ad beatitudinem tripliciter: vno modo essentialiter, alio modo antecedenter, tertio modo consequenter.] Essentialiter quidem, eò quod tempore centralis fruitionis, quo in circumferentia totius compositi humani, vnum habitus donum, scil. intellectus, vel sapientiae, vel etiam eminentioris, in spiritu proprio, & spiritu diuino, dirigendum solidatur; mysticus magis per modum essendi, habendi, & possidendi, quam per modum extensionis, aut erectionis, procedat. antecedenter verò, eò quod proprii spiritus, ex fruitione centrali alleuiatio tanquam spiritalis conformitas, sit praeambulum, & dispositio ad spiritum diuinum; qui tandem consequenter adimplet omnem spiritus immensitatem, & aeternorum spatia, vel, quando post supremas operationes, reliquiae cogitationis diem festum agunt, & magis vitaliter sua impressione ad nouas operationes excitant.

Tandem cum [vnaquaeque mens b angelica, vel humana, benè ordinata, habeat in sua singulari persona, primas, medias, & vltimas ordinationes & virtutes, & sursum actiones;] permagnè refert e in praxi, trinariam hanc distinctionem (quam accuratiori ordine in tres cuiq; ordini subordinatas sphaeras, seu mentis regiones, distribuimus,) obseruare. quamuis enim sat facilè sit

inferiorem, & animalem partem, à superiori & spiritali separare; difficilè tamen est inter spiritum proprium, & diuinum discernere: vnde sicut [contingit Prophetam aliquando nescire an cognoscat diuina, spiritu d proprio, an autem diuino; quando eius reuelatio est per inspirationem internam;] ita etiam exercitatio nostra tam interna, & inspirationi diuinæ tam familiaris est, vt vel ideò mystica, & in ipso spiritu abscondita, sit, & nominetur, ac vel lincio oculo egeat.

Potissima verò ratio huius trinariae diuisionis scilicet fruitionis centralis, spiritus proprii, & diuini, illa est. quod mens nostra e tres habeat aspectus principales; cuius quidem primus est ad corporalia exteriora, secundum quem vocatur animalitas, seu sensualitas; secundus intra se, & in se, secundum quem dicitur spiritus. Tertius est supra se, secundum quem dicitur mens.] consequuntur autè hi aspectus subdistincto ordine bonum suae perfectionis; vnde [in singulis Hierarchicis disponuntur tres Hierarchiae, & in singulis earum tres ordines iuxta angelicam dispositionem, videl. infima Angeli, Archangeli, & Principatus. per hos enim mens benè ordinatur ad exteriora, vel respectu exteriorum. in media autem mentis Hierarchia sunt Potestates, Virtutes, & Dominationes; per hos ordinatur respectu interiorum. in summa mentis Hierar-

P p 3

chia

a S. Thom 1. 2. q. 3. a. 3. c. b Wercell. apud S. Bonau. 3. Itin. ater. d. 4. a. 1. c hic art. 10. & sup. paraph 1. a. 1. d S. Thom 22. q. 171. a. 5. c. simile Harph. l. 3. p. 2. c. 9. e S. Bonau. itin. ment. 4. 1. f Wercell. vbi supra & S. Bonau. 3. itin. ater. d. 4.

chia sunt; Throni, Cherubin, & Seraphin; per hos ordinatur respectu superiorum; & his nouem ordinationibus reducimur in diuinam Monadem.]

Status ergò modi operandi supernaturaliter, & quasi idem quod Hierarchia aliqua distincta, per tres ordines, (quos quidem in praxi in alios tres accuratius subdividimus) diuinam communionem successiuè (cum nos in tempore moueamur) perficiens. & ideo fruitio mystica in infimo status ascendens, centrali amore sub ratione boni collecti, vix illustrationes intellectuales compatiens radicitur; in medio autem erigitur, lumine spiritus proprii crescente; at in summo à spiritu diuino imbutus supra centalem, & spiritus proprii felicitatem, absorbetur in primam omnium boni unitatem; ac vice versa, alio in statu, ac Hierarchia, scilicet modi descendens, velut in altera scala, per tres ordines spiritus diuini, spiritus proprii, & centri seu fundi ad ima descendit. [rectè ergò a sacer ordo, qui diuinis imaginibus, similitudinibusque præest, se in distinctos ordines, atque facultates diuidit: quo planè declarat, diuinas actiones in sanctissimis, ac non perturbatis confusisque ordinibus, constanter, distinctèque consistere.] [mos enim hic est Diuinitatis sanctissimus, per b prima, secunda, & inferiora, ad diuinissimam lucem suam deducere:] quo ita tanquam apud argumentosa minutissimè, in absconditis diuinis consiliatur, ac ordinatissima varietate ita Deo co-

adunetur, fatieturque; vt tamen aliud nouum in Deo habeat, quo penitus fruatur: quousque hac vicissitudine ascendendi, & descendendi, iuxta diuinum propositum finita; beatitudo patriæ, & claræ visionis, euacuet quod mobile, & imperfectum est. solum enim est [diuinum c Pulchrum, quod eo modo se habet semper, ita vt nec oriatur, nec intereat, nec augeatur, neq; minuatur, nec partim pulchrum, partim turpè sit: neque hoc tempore pulchrum sit, illo non item; nec ad hoc quidem pulchrum sit, ad illud autem turpe: nec quod hic quidem pulchrum sit, illic non item: nec quod aliquid aliquibus pulchrum sit, nonnullis autem non pulchrum.] vndè [ad quantamcunque diuinam similitudinem d se quis peruenisse gloriatur; nunquam tamen cesset rescindere, & ad omnimodam similitudinem reducere: quia diuina perfectio, cui se conformare laborat, sine mensura est. potentia quoque similitudinem illam attingendi hominibus præstita, semper insatiabilis permanet in hac vita: quia cum incremento similitudinis gratiæ Dei, per quam similior effici potest, semper accrescit, & quoniam adhuc mortalis semper mobilis, & mutabilis est, idèd per vices accrescit ad similitudinem, & decrescit ad dissimilitudinem: quæ duo semper inter se militant;] & profunda Dei intimius scrutari gestiunt incessanter, pro vt hic consuetiuè dicemus,

Qui-

a S. Dionys. de Eccl. Hierar. c. 5. b ibidem. p. 3. c. 20 in fine.

c de diuin. nomin. c. 4. d Harph. l. 3.

Quilibet status supernaturalis est ordinata & proxima dispositio, ad subsequenter magis in charitate radicandum.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

EO quod [dilectio charitatis, tendat in Deum sicut in principium a beatitudinis; in cuius communicatione amicitia charitatis fundatur. ideò oportet, quod in his quæ ex charitate diriguntur, attendatur aliquis ordo, non tantum secundum relationem ad primum principium huius dilectionis, quod est Deus; sed etiam secundum quod ordo includit in se aliquem modum prioris, & posterioris;] pro vt scilicet vnus status, seu vniformiter diu operandi modus, est ordinata, & proxima dispositio, ad sequentem in charitate magis radicandum.

Et istiusmodi quidem maioris radiationis modus, quodammodo necessarius videtur, ex eo, quod [charitas b non augeatur quocunque actu charitatis, nisi dispositiuè; in quantum scilicet ex vno ipsius actu, redditur homo promptior ad agendum secundum charitatem.] & hinc colligere licet, quare fruitionis mysticæ continuatio, & duratio; non in quiete, & firma inhaesione; sed in actuali, ordinata, & successiua operatione consistat; quia nimirum actus singulares, operationes

seu verba in instanti proferuntur, & sua, vt ita loquat paritate, & momentaneo transitu, vix benè efficere cœperunt, quin ilicò transierint. multiplicatis verò istiusmodi minutis actibus, in sphaeris, dimensionibusvè c Diuinitatis, prorumpit mysticus in actum feruentiorem dilectionis; & consequenter crescente habilitate in inferiori, in spiritus proprii, & spiritus diuini regionibus, augetur charitas in actu notabiliter; scilicet vbi per has regiones, ab infimis, per medias, ad superiores conscenderit, aut è contra, à summis per medias ad inferiores descenderit. vndè etiam [augmentum spirituale d charitatis quodammodo simile est corporali augmento. augmentum autem corporale in animalibus, & plantis, non est motus continuus; ita scilicet, quod si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit, quod proportionaliter, in qualibet parte illius temporis, aliquid augeatur; sicut contingit in motu locali; sed per aliquod tempus natura operatur, disponens ad augmentum, & nihil augens actu: & postmodum producit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal, vel plantam in actu.] hinc etiam videri potest fundamentum durationis ad annos aliquot, vel vnus status mysticæ exercitationis, & feruentioris dilectionis, qua ad charitatis profectum conatur.

Iam verò cum [habitus e & dispositio possint augeri,] per hoc quod [subiectum

a S. Thom. 2. 2. q. 26. a. 1. b idem 2. 2. q. 24. a. 6. c. c inf. decis. 4. a. 3. & 4. d S. Thom. ibid.
e S. Thom. 1. 2. q. 52. a. 1. c.

iectum perfectius participat a formam præexistentem,] gratiam scilicet mysticam, & in eius effectu, usum, aut consortium diuinæ naturæ. clarum est, quod digesta vna amplissima radicatione in charitate scilicet, per integrum vnum, ab infimis, per media, ad summa ascensum; aut è contra: per integrum vnum à supremis, per media, ad infima descensum; quod inquam eiusmodi status, sit proxima, & ordinata dispositio, ad sequentem statum maioris radicationis in charitate. quo ita totum vniuersum mysticæ vitæ, per ordinatos motus descensus, aut ascensus, eminenti ratione de Deo omnia affirmando, aut transcendentem negando, compactum, & connexum per omnem iuncturam, intermediarum dimensionum, & regionum mentalium in mensura, augmentum donationis Christi, digerat, ac inleat.

Et certè huius ordinis ignorantia b perturbat formam meritorum, nec reputatur perfecta rei cognitio in nobis existere cum scimus quid sit in nobis faciendum, & ignoramus quo ordine sit procedendum.] hinc etiam nunquam certa, & infalibili notitia, aut proprium, aut alienum statum quisquam intelliget; minusque in intermedijs humanitatis proprij spiritus, ac spiritus diuini solido iudicio, in ordinata praxi deducet; qui non statuum ordinem, eorumque non interruptam consecutionem ad inuicem, cum pri-

mis obseruauerit. sicut ille qui cælorum ambitum, ornatum, stellarum, ac planetarum motum, lumen, & pulchritudinem communi, atque ignato oculo intueretur; is quidem omnia hæc videbit, at quot cælorum sint sphaera, seu circuli, motus, distantia, contactus, luminis receptiones, & emissiones; virtutes & distinctiones, minimè intelliget; id quod tamen is, qui in Astronomicis piè, & cautè versatus, iucundè intelliget, ac distinctè monstrabit. charitas ergo mystica, & iustorum semita, e quasi lux splendentis procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. quando scilicet in amoris exercitio [in signiter profecerit, in d nouum statum gratiæ] immediatè sequentem. interea verò, etiam perfectum virum, subindè, ex terrena in habitatione, ac per sensum multa cogitantem, deprimi, consequenter dicemus.

An mysticus in perfectis statibus molestetur passionibus inordinatis.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Quamuis perfectiores Viri, [ab omni rerum e corporearum voluptate abducantur, liberi autem ab omnibus malis, Deique amore impuls, omnium bonorum pacem diligant, & sanctimoniam, atque ab hac vita principium futuræ faciant, cum inter homines Angelorum vitam imitentur, cum

a S. Thom. 1. 2. q. 52. art. 2. c. b S. Bonau. solil. c. 1. c Prouerb. 4. d S. Thom. 1. p. q. 43. art. 6. ad 1. & alib. e S. Dionys. epist. ad S. Ioan. Euang.

cum omni animi tranquillitate:] [nulus tamen est, qui non *a* aliquando sentiat inordinatas passiones corporis, vel animi.] vnde etiam [qui ad summam perfectionem peruenerunt, non ideo censendi sunt impassibiles, *b* & omnis humanæ perturbationis, & affectionis expertes; vt olim quidam *c* Scriptores, inani perfectionis studio ducti, in eum errorem prolapsi sunt:] licet enim [natura, quæ per gratiam infusam reparata est, *d* singula peccata venialia; sed non omnia vitare potest.]

[Si quis autem eorum qui sanctitatem eximio modo habent, à *e* vitio superatus, & à cœlesti puraque diuinarum mentium harmonia prolapsus esset; in obscura multitudinis, quæ deficit loca delatus:] eiusmodi tamen [recuperatio virtutum, & charitatis, per opera *f* pœnitentiæ,] ei negari non possit. cum non peioris conditionis, quam cæteri Christi fideles censi debeat. [et pro summa *g* humanitate sua Deus, nos etiam auersos, & abductos ad se conuertat, & reuocet:] verumtamen pro eo tempore [licet nihil prohibeat aliquem esse in statu *h* perfectionis qui tamen perfectus non sit;] valdè tamen miser foret, & à commutabili bono excoecatus.

Quamuis ergò inter *i* Sanctos eius nemo sit immutabilis, & cœli non sint

mundi in conspectu eius; durum tamen est concedere aliquem in statu perfectionis, ad graue peccatum dilabi. cum [k sancti Viri quò altiùs apud Deum virtute, & dignitate proficiunt, eò sublimius indignos se esse deprehendant: & dum proximi luci fiunt, quidquid eis in seipsis latebat, inueniant.] atque illud [quiddam *l* valdè occultum in ipsa natura, quod proprium semper in omnibus quærit, & intendit commodum,] odio habeant, ac mortificent: propriam voluntatem diuinæ voluntati conforment, à terrena dulcedine, & delectatione remotissimi viuant. in quibus quidem, [m quantò quis à propria voluntate nudior, & à dulcedine, seu delectatione derelictior est, tantò & à diaboli laqueis, & tentationibus, & tristitia mala in præsentia, & ab inferno, ac purgatorio in vita futura liberior, atque immunior fit: nec facillè ex Dei gratia, in peccata decidere potest, nisi spontè, ac studiosè, se ad peccata conuertat, quod difficulter, atque ægrè fit.]

Ad inordinatas autem passiones, & molestias, quibus vel iustus *n* septies in die cadit, quod attinet; nemo certè etiam in perfectis statibus mysticis, eximitur. [dum enim huius *o* vitæ infirmitatem gerimus, si passiones nullas habemus non rectè viuimus. nam omnino

Qq

nino

a S. Thom. contr. Gent. l. 3. p. 2. c. 9. *b* 1. 2. q. 61. *c* scil. Origenes, Euagrius, Ruff. &c. *d* 1. 2. quæst. 109. a. 8. c. *e* S. Dionys. de Eccles. hierarch. c. 6. *f* S. Thom. 3. p. quæst. 89. & Taul. Dom. 24. post Trinit. fusè & ad rem accommodatè. *g* Dionys. de diuin. nomin. c. 6. *h* S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 4. c. *i* Iob 15. *k* S. Bonau. in solil. c. 1. *l* Taul. instit. c. 22. *m* Taul. in fest. S. Cathar. serm. 1. *n* Prouerb. 24. *o* S. Augustin. 14. de ciuit. Dei apud S. Thom. de verit. quæst. 26. art. 7.

nino non dolere, dum sumus in hoc loco miseræ non sine magna mercede contingit vnanimitatis in animo, & stuporis in corpore.] & ideo licet quis status innocentia perfectione, circumdatus esset: quin imò, si quis cum Adamo *a* in sopore status innocentia, cum Moysè *b* in ostensione omnis boni, cum Paulo *c* in raptu ipsam Dei essentiam clarè vidisset; ex eo tamen, aut à peccati occasione, aut à pœnæ malo, aut etiam à persecutionis molestia, qua ut plurimum afficiuntur, qui in Christo piè viuere volunt, non foret ex toto liber, vel securus. præsertim quod beatitudo etiam perfecta [*d* qualis in hac vita haberi potest; deficere possit.] vnde Adam post soporem, in peccatum grauissimum, quod nobis omnibus originale est, incidit; Moyses autem, (fortè etiam post ostensionem omnis boni) *e* in pœnam incredulitatis, ab ingressu terræ promissionis multatus fuit, illius pœnæ remissionem, etiam vsque ad mortem frustra petendo: at Paulus in sanctis Ecclesiæ sollicitudinibus, & laboribus; tales subiit persecutiones, ut raderet eum viuere, carnis suæ stimulo etiam succensus. cui autem non est amplius colluctatio *f* cum carne, & sanguine, videat, qua gratia stet, aduersus Principes, & potestates,

aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus: quandoquidem helluones isti flammigeri, subtilissimè *g* tentare non fatigentur. his tamen non obstantibus [potest homo ad tantam charitatis *h* perfectionem peruenire, ut omnia quæ sunt charitati contraria repudiet, & detestetur, quandoquidem nullus in hac vita ad diuinæ dilectionis absolutam perfectionem peruenire possit.]

Cæterum illud Apostoli. [impolubile *i* est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad penitentiam; illud, inquam, ad defectus, & fragilitatis humanæ tentationes, haud quaquam refertur; sed ad maxima peccata, præcipue verò ad apostosiam à fide Christi; quam per Baptismi *k* lacrum, & consolationem Spiritus sancti adepti erant; qui taliter in Christo nati, postea verò ad Iudaismum, vel Gentilissimum reuertebantur.]

Vii

a Gen. 2. *b* Exod. 33. *c* 2. Corinth. 12. *d* S Thom 1. 2. quæst 5. art. 4. *e* Exod. c. 33. *f* Ephes. 6. *g* ut fusè & egregiè Taul. in fest. S. Agnet. *h* S. Thom 2. 2. quæst. 184. art. 2. *i* Hebr. 6. *k* ut Chrysostr. Theodor. Theophil. Oecumen. Hay. Sedul. Primus, Ambrosius, Augustinus, &c.

Utilitatem mysticæ vitæ in eo consistere, ut pia anima paulatim appropinquet ad felicitatem status innocentia, quantum ad subordinationem passionum, puritatem intellectus, & rectitudinem voluntatis, in ordine ad dilectionem Dei.

ARTICVLVS DECIMYSTERTIVS.

EO quod omnia, & singula, quæ de mysticis statibus, operationibus, gratijs, donis, diuini amoris, ac familiaritatis incrementis; à compluribus ad aliorum directionem tradita sunt, plus minusvè ad utilitatem mysticam referantur; & breuitatis causa, tum illos, qui eius fructibus aduersantes, actiuam vitam eidem præferunt; tum hos, qui ex pia curiositate, eius comoda fusiùs deducta, perlegere cupiunt; ad ipsosmet auctores istiusmodi utilitates fusiùs explicantes, remittamus. eapropter, nos hoc loco ad tria duntaxat capita, summarie, eius iucundissimos fructus reducemus.

Cum itaque [studium *b* sapientiæ sit perfectissimum, iucundissimum, & utilissimum,] & Philosophus *c* [ultimam felicitatem hominis posuerit in contemplatione optimi diligibilis;] nulla insuper in hac vita [sublimior, *d* diuiniot, & salubrior] exercitatio reperiri possit, quam contemplatiua; gliscit

animus hoc ipsum penitiùs considerare. Et primò quidem nullam esse sublimiorem, constat ex parte obiecti, quod Deus est, quo eminentius aliquid dari non potest, neque sublimius. patet etiam ex parte subiecti, quod est spiritus ad imaginem, & similitudinem Dei, ac sanctissimæ Trinitatis, non autem ad aliud Deo inferius, in consecutione perfectæ, & sibi proportionatæ beatitudinis creatus. sic etiam [simpliciter, & ex sua natura *e* vita contemplatiua potior est actiua:] quia nimirum [prioribus *f* & melioribus operationibus insistit;] quæ etiam [in patria, seu clarissima visione gloriæ perficitur, ac *g* perseverat,] vita actiua deficiente, & euacuata: quin imò fidem, spem, & charitatem, pro vt virtutes Theologicæ sunt, & scholasticè considerantur, altius superexcedit. Quippè [quæ communis non sit omnibus *h* habentibus charitatem,] scilicet gratum facientem, vel sanctificantem. hinc etiam pretiosissimam esse vides mysticam sapientiam, iuxta illud: Præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen

Qq 2

men

^a Gers Theol. spec. conf. 1. 8. 30. 32. & S. Bonauent. 3. itin. ater. d. 5. &c. ^b S. Thom. l. 1. cont. Gent. c. 2. & Thom. à les. de Cont. pag. 510 ^c 10. Ethic. ^d Gers. in Prol. Theol. spec. ^e S. Thom. 2. 2. q. 182. a. 1. f. art. 4. ^g 2. 2. q. 181. a. 4. ^h 2. 2. q. 24. a. 8. ⁱ Sap. 7.

men illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. & lætatur sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium mater est, quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo. infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitia Dei: ad quam lucrificandam iure merito Paulus omnia *a* arbitratur vt stercora.

Secundò verò nulla potest reperiri diuinior, non tantum ex parte gratia sanctificationis, & gratum facientis, (quam mystica vita certa fiducia præsupponit.) sed multò magis ex parte donorum, quæ superiores potentias voluntatis, & intellectus ad vsu, & exercitium familiaritatis diuinæ perficiunt, & practicum in summis, seu perfectis statibus vitæ æternæ participem, & diuinum quodammodo efficiunt, ex omni parte, & secundum totum hominis compositum. in essentia quidem animæ secundum gratiam, quæ est quædam vitalis participatio diuinæ naturæ; in voluntate autem per donum sapientia eius curuitates, à commutabili bono ad incommutabile rectificando: in intellectu verò per donum intellectus, eius cœcitates illuminans, phantasmata depurans, discursus simplici intelligentia perficiendo. in vtraque verò ad facilitam, & iucundissimam cum Deo

conuersationem vitali afficientia, etiam ad inferiores vsque vires, scilicet rationis, imaginationis, sensuum internorum, & externorum; ac tandem ipsius corporis, per influxum ex abundantia *b* suauitatis spiritualis, in virtutibus superioribus, constituendo perfectissimum, & diuinissimum gaudium huius vitæ.

Tertiò autem nulla potest reperiri salubrior; primò, quia [vita contemplatiua ex suo *c* genere, est maioris meriti, quam vita actiua; propter eminentiam amoris vnitiui.] Secundò, quia amor *d* quanto intimior, tantò firmior] & maioris efficaciam, ad resistendum omnibus, quæ nos à Deo possunt separare; iuxta illud Apostoli: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, et an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESU Domino nostro. Tertiò, quia [contemplatio *f* ex radice diuini amoris, est omnibus delectationibus iucundior.] vndè etiam facit Domini onus leue, & iugum eius suaue, & quidquid alioquin humanam fragilitatem quoquo modo solet fatigare, alleuiat,

a Ad Philipp. 3. *b* S. Thom. q. 26. de verit. a. 10. *c* 2. 2. q. 182. a. 2. *d* l. 1. cont. Gent. c. 91. *e* Rom. 8. f. 2. 2. q. 189. a. 7.

niat, facillimumque reddit; ita vt non contristet iustum quidquid acciderit ei. Quartò quia est securissima, & periculis carens: omnes enim contemplationis fructus in reparationem originalis perditæ iustitiæ redundant; ita vt licet [passiones ad malum *a* inclinantes non totaliter tollantur, nec per virtutem acquisitam, nec infusam: attamen tam per virtutem acquisitam, quam infusam huiusmodi passiones modificentur, vt ab his homo non effrenatè moueatur:] quin imò apud perfectiores, [fortitudo *b* purgati animi est, passiones per impassibilitatem ignorare, nō vincere, vt nescias irasci: cupiditates autem terrenas, est, non reprimere; sed penitus obliuisci, id est, non sentire.]

Fatendum tamen est, contemplationem in cuius nuda *c* oblectatione quiescitur, valdè periculosam esse, ac dæmonum illusionibus, fidei erroribus, & comprimis vitiosis superbix tumoribus subijci. concedendum insuper est, tales contemplatores, qui in intellectualibus subtilitatibus longè magis, quam in diuinis abstractionibus, & fruitionibus oblectantur, & scientia instantur, charitate non ædificare, & vndique periculis animæ suæ exponi: dum sibi afficta licentia quodcunque opus attentare audent, & tandem in omni astutiæ genere, & agendi modis, cum, & præ omnibus filijs huius sæculi, prudentiores, efficiuntur.

At periculosus istiusmodi spiritualibus reiectis, cum illis non sit pars, neq; fors in sermone nostro; ad mysticæ vitæ praticos conuertimur, quam maximè illos cohortantes; vt licet hos fructus, & vtilitates nondum percipiant, non idcirco animum despondeant: recogitantes quod licet filij Dei simus per gratiam mysticam, ad modos operandi supernaturaliter *d* dispositi; nondum tamen vitali vsu consortij diuinæ naturæ appareat, quid erimus in sequentibus perfectis statibus; in quibus ad felicitatem status innocentix, quantum ad diuini amoris familiaritatem attinet, per voluntatis rectitudinem, per intellectus puritatem, & passionum subordinatas ac pacificas actiones, appropinquamus. [quantò enim magis, magisque te nudaueris à phantasmatis, & ab omnibus rebus mundialibus, & creatis; ac per bonam voluntatem intellectu Deo vnitus fueris, tantò magis ad statum *e* innocentix, & perfectionis appropinquas.] ac demum amantissimi Domini [liberi *f* ab omnibus malis Dei amore impulsus, quique ab hac, principium futuræ faciunt, cum inter homines Angelorum vitam imitentur, in omni animi tranquillitate;] cantant sicut in diebus *g* iuuentutis; quando Dei lucerna, *h* per originalem iustitiam, splendebat super capita eorum, & ad lumen eius ambulabant in tenebris. & quasi [in statu innocentix, Deum sicut *i* alter Angelus vident.]

Qq 3

a quest. unica de verit. a. 10 ad 14. *b* S. Bonau. de lum. Eccl. ser. 1. *c* sup. 1. p. Dec. 3. a. 4. *d* Dec. 7. a. 7. *e* Dec. 8. a. 1. *d* Dec. 2. a. 10. *e* Alb. Mag. lib. de Adhar. Deo. c. 8. *f* S. Dion. Epist. ad S. Ioan. Apost. *g* Ose. 2. *h* Iob. 29. *i* 22. q. 180. a. 6. ad 2.

vident.] imò toties quoties anima sine ullo discursu Angelorum more res diuinas purissima cognitione percipit; toties ad vniformitatem Angelorum peruenit: pulchritudo enim naturæ Angelicæ, & humanæ, se habet sicut similia, & tanquam res eiusdem generis, sicut lux clarior, & obscurior, vel sicut stellæ nebulosæ, & lucidæ, aut speculum vitreum, & cristallinum. Vndè etiam [homo in statu innocentia *a* per aliquod lumen spirituale menti hominis influxu diuinitus; quod erat quasi similitudo expressæ lucis increatæ, Deum videbat] & Eum [cognoscebat conformiter *b* Angelis per inspirationem internam.]

Hæc porrò [via *c* est diuina, & occultata ab omni humana sapientia; & docet eam Deus (immediatè) paruulos humiles, & amantes; sicut dixit Ies vs: Confiteor *d* (& gratias ago tibi) Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus. Hæc etiã via, est multò vtilior, & nobilior: quia Deus Magister est omnis perfectionis. ita quod rudis Laicus aliquis, aut vetula, si trahitur, aut ambalat per hanc viam, intra breue tempus recipere potest maiorem experimentalem cognitionem de Deo, & veris virtutibus, & similiter de omnibus salutem humanam concernentibus, quàm omnes Doctores totius mundi cognoscere possint, per suam naturalem sapientiam,

aut scientiam acquisitam. Est insuper ista via compendiosior ad obtinendam perfectionem, & faciliùs acquiritur, non requirens ingeniositatem, aut subtilitatem intellectus: quia in affectu negotium hoc agitur, & non in intellectu, donec homo in affectione tam ardens efficiatur, & abundans in omnibus spiritualibus diuitijs, omnes potentias animæ replentibus; quod tandem sibi peritur pura quædam, simplexque cognitio, cum illustratione diuinæ claritatis; ita vt naturalis intelligentia eius, tantum eleuetur ultra omnem naturalem cognitionem, quantum claritas solaris excedit claritatem lunæ.] & est demum [vita contemplatiua *e* amabilis valdè dulcedo, quæ super semetipsam animam rapit, cælestia aperit, spiritualia mentis oculis patefaciens.] vndè etiam [vi dilectionis suæ ibi verius *f* habitat, vbi per contemplationem amat, quam vbi per essentiam animat.] & certè [si rectè considerentur omnia humana officia, & *g* totum regimen vitæ ciuilis, seruire videntur contemplantibus veritatem.] ex quibus omnibus finaliter tandem concludere licebit, quod [beatitudo *h* qualis hic haberi potest, primò quidem, & principaliter consistat in contemplatione; secundariò verò in operatione practici intellectus ordinantis actiones, & passiones humanas.] ita vt [non solum opera virtuosa faciat, quæ communiter dicuntur

a S. Thom q. 18. de verit. a. 1. ad 1. *b* Ibid. a. 8. & Nicol à IESV Elucid p. 2. c. 12. *c* Harph. l. 2. p. 3. c. 31. *d* Matt. 11. *e* S. Greg super Ezech. Hom. 14. *f* S. Bonau. solit. c. 4. ex Aug. *g* S. Th. Contr. Gent. l. 3. c. 63. h 1. 2. q. 3. a. 5. c.

cuntur opera iustitiæ; sed ea faciat ne. Et hiscè in genere præmissis ipsos cum insatiabili a quodam desiderio.] status mysticos in particulari tractandos consequenter aggredimur.

a 22 q. 139. A. 2. c.

QVARTVS STATVS MYSTICVS EST PRIVATIONIS RI- GOSÆ.

DECISIO SECUNDA.

QVamvis rationum, quæ tædium in Christo piè vivere volentibus causare solent, nullus sit finis; potioribus tamen b supra adductis, in præsentiarum illam priuationem duntaxat tractamus, cuius à parte operantis, nulla, aut modica defectuosa ratio assignari potest: quæue ex spirituali profectu amoris solummodo ortum habet, ipsum fundum, ac originem inordinatarum passionum, depurat: iuxta illud, c multiplicabit vulnera mea etiam sine causa, scilicet notabilis negligentia, aut defectus; & ut ad purum excoquat, scoriam dissimilitudinis amoris diuini. & hunc quidem statum quartum ponimus, ut intermedium naturalis, & supernaturalis modi operandi. ut intermedium, inquam, tres enim status naturalis modi in prima parte; tres autem modos supernaturales hic infra tractamus. quibus hunc scilicet priuationis statum, ut immediatè ad supernaturalem modum disponentem, præponimus: ut latius constabit ex sequentibus. &

- I. *Quid sit priuatio mystica propriè.*
- II. *Priuatio propriè est immediata dispositio necessaria, ad modum operandi supernaturaliter.*

III. *Qua-*

b 1. p. d. s. a. x. & 9. c 106. 6.

- III. *Quare contemplator à summis per medios ad infimos vsque amandi modos dilabatur.*
 IV. *In hac priuatione omnes ad supernaturales modos operandi disponendos concurrere, siue amoris, siue ariditatis via processerint.*
 V. *Perfectionem amoris non consistere in eo, vt fiat sensibiliter, sed spiritua- liter magis intensus.*
 VI. *Quare hac priuatione durante, sint in mystico tam graues animæ, & spi- ritus afflictiones.*
 VII. *Non omnes sentiunt equaliter rigorem Priuationis.*
 VIII. *Quot annis probabiliter duret status Priuationis.*
 IX. *Dono fortitudinis statum Priuationis durare tam diu.*
 X. *In fine huius Priuationis infunditur animæ gratia modi operandi super- naturaliter.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit priuatio mystica proprie.

Varijs nominibus appellatur priuatio, de qua modò loquimur: Sanctus Dionysius intelligit illam nomine *a* mali, in quantum bonum eius non perficitur, & operandi imbecillitatem habet; Sanctis Bernardo, & Bonauenturæ; *b* dicitur mors spiritualis; Rosbrochio *c* est concertatio spiritus diuini, & nostri, priuatio & quædam desperatio; Taulerus *d* pressuram internam illam esse vult; Harphius *e* languori infernali, & diuisioni animæ, & spiritus illam comparat; Candtfeldt *f* vt medium absque medio, & vt in nullis humanis viribus situm, vel intellectui

possibilem, & accessibilem ipsam tradit, & ideò etiam ad illam specialem gratiam Dei requirit; Ioannes à cruce largituè sub obscura nocte *g* illam depingit, & rectè purgatorio assimilat; nec incongruè dicitur Thomæ à Ies v purgatorium, *h* in vita vnitua contingens: at Barbansonius noster directè, & fusè sub nomine *i* priuationis, ac diuisionis naturæ, & spiritus, illam deducit, ad maximam utilitatem eorum, qui in actuali illius praxi versantur.

Hanc ergò desolationem, quæ animam ad vsum mysticæ felicitatis limatè depurat, commodiori termino priuationem dicimus; eò quod sicut in priuatione non datur regressus ad habitum, ita nec in hac animæ, & spiritus afflictione liceat præterita exercitia, auxiliatè assumere, & suæ dilectioni satisfacere: sed

a De diu. nom. c. 4. *b* serm. 52. in Cant. Itin. ment. c. 7. *c* l. 2. de Orn. spirit. Nupt. c. 56. 57. &c. *d* serm. 1. Dom. 15. post Trinitat. *e* l. 3. c. 13. p. 2. & c. 17 p. 3. *f* de volunt. Dei p. 3. c. 2. 3. *g* Ascens. mont. l. 1. 2. & 3. *h* de orat. infus. l. 4. c. 19. *i* de occult. sem. 2. p. c. 10. 11.

sed volens nolens cogatur omnibus solatijs dispoliari, & ad operationes substantijs separatis conformes, disponi; quo ita absque discursu, & sine conuersione ad phantasmata, operari possit. & hisce quidem stantibus, priuatio [est desolatio in parte sensibili, quando nihil habetur amicabilem familiaritatis Dei; & in parte spirituali: ut Christus in cruce a experitur dicens, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me.] priuatio eiusmodi communis est statibus præcedentibus, in quibus etiam aliquis spiritualis languor siue desolatio frequenter contingit, ab illis autem differt, quod hoc loco simul in sensibili, & spirituali parte sit indicibilis amaritudo. etenim quamdiu hæc separatim contingunt, in alterutro datur refugium, scilicet vel secundum naturam, & solatium honestum creaturarum, vel secundum spiritum per actus resignationis, amoris, & similibus; pro ut quodammodo bene afficiunt. utroque igitur existente homine priuato, & creaturarum, & Dei consolatione, absque eo quod possit aliqua defectuosa ratio assignari præsentis illius afflictionis; erit vera, realis, & diuina priuatio animam disponens ad usum fructificationis mysticæ supernaturalis modi. Et quia [priuatio est eius b quod quis natus est habere, & debet habere,] verè [est purgatorium amoris, c & minuit pœnas purgatorij.] vnde etiam [pro-

priæ passiones d pro purgatorio accipiendæ sunt: quia angustia, & pressura ingens, est magnum purgatorium:] cum primis tamen necessarium; & quamdiu altissimus disposuerit, humiliter, resignatoque animo tolerandum. Vtilitas porro huius priuationis iam consequenter apparebit;

Priuatio propriè est immediata dispositio necessaria, ad modum operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EO quod operari sine discursu, & conuersione ad phantasmata, sit modus conformis Angelis, & supra vires humanas; [oportet ut omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam; disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra naturam. [iam verò amor cum non quiescat,] & non sit contentus superficiali apprehensione amati; sed intendat rem amatam perfectè possidere; in sui progressu, & maiori radicatione in charitate, efficitur ut paulatim imbuatur, quousque in eo sit viuus g sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum; & discretor cogitationum, & intentionum cordis: donec etiam ad purum excoquat scoriam sensibili-

R r

lis,

a Taul. b S. Thom. l. 3. contr. Gent. c. 6. c Taul. Dom. 3. Adv. ser. 1. & in Pent. serm. 2. d Taul. Dom. 20. post Trip. ser. 2. e S. Thom. 1. part. quest. 12. art. 5. f 1. 2. quest. 28. art. 2. c. g Hebr. 4.

lis, & terreni amoris, auferatque omnem stannum pulchritudinis exterioris apparentiæ, & præcedentium amorum: quibus athleta spiritualis quandoque calefactus dicebat, viuo *a* ego iam non ego, viuit verò in me Christus; verè nesciens quid diceret, quamque adhuc longè abesset à regno Dei, eiusque puris operationibus, quæ in sequentibus statibus communicantur illis, qui applicant *b* cor suum, vt appropinquent Domino.

Sicut ergò nihil coinquinatum potest intrare in regnum cælorum, vt vel idè animæ in purgatorio dealbentur, & qualificentur ad claram visionem Dei: ita quoque mystici, in hoc amoris igne, ab omni eo; quod vsum fruitionis diuinæ (secundum illum modum, qui in hac vita perfectior consequi potest) obtineat, præditque; absoluuntur, depurantur, & disponuntur; vt sint vnum cum eo, qui in Trinitate vnus est. Quapropter [etiamsi *c* ea quis puritate foret præditus, qua erat quando à baptismatis fonte leuatus est, nec vnquam in peccata cecidisset, nihilominus si ad proximam vitalemque veritatem pertinere debeat, per hanc commotionem, (qua scilicet ob diuinæ præsentia, tam in supremis, quam in infimis viribus carentiam, tristitiamque, nocte, ac die sibi moriturus videtur,) & per hanc viam, cum vera resignatione gradiatur oportet: alioqui certò cer-

certius semper in eodem luto hærebit, deficitque.] [nihil enim est susceptiuum formæ sublimioris, nisi per aliquam dispositionem, ad illius capacitatem eleuetur.] quæ quidem hoc loco alia non est, quam efficacia gratiæ mysticæ, amorem ad modos substantijs separatis conformes, depurantis. & sic verissimè experiri licet quod [maledicta terra nostra spiritualis, sicut & corporalis, non germinet fructum sine spinis, & tribulis, nec absque dolore anima prægnans, veritatis prolem e parturiat.] ordinatè tamen hæc fieri, & non in instanti à summo ad infimum dilabi, consequenter dicemus,

Quare Contemplator à summis per medios ad infimos vsque amandi modos dilabatur.

ARTICVLVS. TERTIVS.

ADmirabilis certè est diuini amoris progressus, qui vbi deuotas animas cum filijs Israël, ex Ægypto secularis vitæ deduxerit, maximo gaudio, & omnibus amoris bonis in prioribus statibus repleuerit; tandem promissionis terræ, ac statui vnionis vicinas, miris, & alijs, atque alijs modis, tentationibusq; exagitari permittit. quarum quidem [prima est subtractio, *f* & inopia deuotionis; subtracto autem tam singulari refugio, homo quodammodo

a Gal. 2. b Ierem. 30. c Taul. in fest. Visit. Mar. ser. 1. d S. Thom. l. 3. cont. Gent. c. 53. d Gers. Theol. myst. pract. 6. e Vt etiam hic a 4. f S. Bonau. de 4. Proseff. Relig. c. 2. l. 2.

dammodo inermis, expositus est hostibus tentationum; & ideo pauidus efficitur, & pusillanimis. Ex hoc *a* sequitur alia tentatio, scilicet fastidij, qua fastidit homo omne bonum, tædet eum orare, legere, meditari, tædet eum audire bona, vel loqui, vel operari, vel interesse diuinis, etiam quæ sine graui labore posset facere; Hæc tentatio fastidij, dum non habet in spiritualibus delectationem, & in carnalibus consolari renuit, sic nunquam inueniens refugium, malo mœrore consumitur. dein sequitur alia *b* tentatio grauis impatientiæ contra Deum, quare tam durus, & immisericors sit tribulato, quare tam parcus in dando gratiam egeno, & tam anxie petenti, & tam importunè pulsanti? & hæc tentatio quandoque tam valida est, quod quasi insanit homo, & palpitat ex vehementi mœrore, quia ibi non inuenit solatium, quod deberet ei esse vnicum refugium scilicet in oratione, & in tanta supplicatione, cælum quasi æneum sentitur; & cætera. acerbissimæ insuper *c* tentationes videntur, hæsitatio in fide Catholica, & desperatio de Dei misericordia, & spiritus blasphemix contra Deum, & Sanctos, & tentatio inferendi sibi manus, & se perimendi, & quædam perplexitas querulosæ conscientix, medicinale consilium non admittendi, & cætera.] [exiens igitur homo iste, *d* miserum, ac desola-

tum sese conspiciat. Hic iam omnis amoris æstus, impetus & impatientia mitescit, & refrigescit, ac feruens æstus, transit in autumnum, & opes omnes in ingentem inopiam commutantur. Tum verò ex quadam erga seipsum commiseratione, querulas reddit voces, quoniam amoris æstus, compunctio, laus & gratiarum actio iucunda abesserint, vbinam consolatione interna, intimo gaudio, & gustu sensibili destitutus sit, & qui tandem validus amoris æstus, & dona omnia vnquam percepta, ita penitus extincta sint. Nec secus iam cum illo agitur, quam cum homine erudito; sed qui postea scientiam, & operam omnem perdidit. Interim sæpenumerò, ob huiusmodi iacturam natura perturbatur, & dolet, quandoque autem Dei permisso, homo sic desolatus, insuper terrenis spoliatur rebus, aut amicis, & cognatis, & à creaturis omnibus derelinquitur; & quidquid habet sanctitatis in obliuionem abit, ac nihil penditur: totamque vitam, & omnes eius actus in peiorem partem homines interpretantur, contemnitur item, & despicitur ab ijs omnibus, quibuscum viuit. interdum quoque diuersorum generum morbis corripitur, aut tentationibus corporalibus, vel quod omnium grauissimum est, spiritualibus fatigatur. sub hac igitur tanta paupertate constitutus iam casum vereri incipit, & quadam pulsatur diffidentia: qui est extremus, &

R r 2

vlti-

a Ibidem cap. 2. *b* Ibidem cap. 2. *c* Ibidem cap. 2. *d* Rosbroch. de om. spir. Nupt. lib. 2. cap. 29.

ultimus terminus, in quo, citra desperationem, in gratia persistere quis possit.] [habent insuper a istiusmodi homines curas, & angustias multas in hac vita, adeò vt sæpè ignorent, quò se, præ huiuscemodi mœroribus vertere debeant, & nudæ duntaxat fidei, spei, charitati, in obscura quadam caligine innituntur. cumque maius adhuc studium, & conatum adhibent, multò adhuc intus aridiores, & lapide duriores efficiuntur: ita vt nonnunquam vix ferant patienter, & magis magisque animo deiciantur, excrucianturque. videtur autem illis non posse se non offendere Deum, vel per impatientiam, vel per desperationem, vel animi gravitatem, seu mœrorem. id verò dolent ex animo, cum odio habeant omnem iniquitatem. & cætera. Vellent etiam, & percuperent ex animo vitia sua extirpare, ac vincere, & exercere virtutes; sed non possunt. quod ipsum, & huius similia, tantos interdum dolores, curas, angustias intus eis parit, vt sibi infernales pœnas pati videantur. id verò ex ingenti cordis ipsorum erga Deum amore, & fidelitate eis accidit, tametsi id ipsi de se ignorent. vndè omnium, quos mundus habet se sceleratissimos reputant, cum tamen coram Deo purissimi sint.]

Hiscæ porrò, alijsque medijs, cum à summis per medios ad infimos quos-

que, & operandi modos, ac tolerantias spirituales studiosi deiciantur: reliquum est dicere, quare hoc ipsum fiat. Cum itaque modus naturalis cognoscendi fiat per discursum, quo ex magis notis minus sibi nota, animus colligit, idque vsu sensuum, & conuersione ad phantasmata: ac insuper obiectiuè cum Diuinis rebus agat, vt potè à se distinctis, amoris interim appetitu in præcedentibus statibus excitato; ex nunc & impolterum amoris perfectioris progressu ad Deum secundum quod quid est, seu essentialiter cognoscendum, & sub ratione omnis Boni amandum impellitur, perfectiorique modo operandi, diuinam quidditatem obtinere satagit, summoque studio contendit, vt loco conuersionis ad phantasmata, succedant diuinæ essentia similitudines, omnia inferiora excedentes, & loco discursus, ac multiplicitatis, simplex intelligentia, quæ sub vno diuini luminis radio, inferiora sublimius contineat.

Eapropter spiritualis structura hucusque ædificata, & in sublime contemplationis erecta, tanquam insufficiens, & sensibili, ac instabili amore fulta, prius destruenda, deinde in templum sanctum reædificanda est, super solidum diuini amoris fundamentum; vt quando venerint flumina, & flauerint venti tentationum, & fragilitatum huius vitæ, nihil separet certantes

a Taul. serm. vnic. in festo plurim. Martyr.

certantes à charitate Christi, utque [in omnibus & per omnia purgati, & omnium rerum saporibus, & suauitatibus excellenti modo possint degustare;] secundum quod omnia quæ existunt in prima veritate, sunt bona valde. & idè à summo tandem quisque suo, siue quando aliquot annorum spatio, sua ut poterit melius peregerit; paulatim non sine admiratione, & dolore pauescit ac deficit. superueniens enim amoris perfectio, tanquam qui ruinofam domum destruit, à tecto, & summitate incipit soluere vetustatem, & quidquid sublime videbatur; vile, & infimum adhuc esse, demonstrat. vndè licet exaltaueris ut *b* aquila nidum tuum, indè detrahā te, dicit Dominus.

Atque ita [Deus amatoriam quadam altercatione, plerumque se denegans, ostensa conferre dissimulat, ita quod anima concupitam affectionem adimplere non valet, quia nec se totam dare potest, nec Deum totum accipere; sed quantum plus dat, & accipit, tantò plus dare, & accipere desiderat. hinc etiam in se nimium inquietatur, & amoris impatientiam patitur, quia nec Deum potest deserere, nec ad votum acquirere, nec profundare, nec indagare, nec comprehendere. Et idè varias eius tempestates, quas illo tempore patitur, nec lingua valet dicere, nec calamus exprimere. Nam amor facit amantem nunc calidum, nunc frigidum; nunc pauidum, nunc audacem; nunc letum, nunc

tristem; nunc timidum, nunc sperantem; nunc confidentem, nunc desperantem; nunc ridentem, nunc lamentantem; nunc orantem, nunc laudantem: & innumerabilia sunt, quæ his contingunt, qui in amoris huius impatientia viuunt.] vndè & contemplator animaduertens deficientiam, quibusuis tandem modis contendit, huic defectui sese opponere, & ordinaria interioritatis dilatatione, vel eleuatione procedere, ac crescere. Verùm in reali praxi omnia in vanum; dicendo enim sapiens efficiat; sapientiam prælibatam magis aduertit à se recedere, & pro ut contemplationis pulchritudo recedit; sic quoque eius vestigia, & operandi auxilia, tam suprema quam media, & infima, disparent: quousque tandem ex communi erga Deum se habendi ratione, per actus resignationis, & obliuionis præteritorum exercitiorum discat, quod perditio, & mors dixerunt, *d* auribus nostris audiuius famam eius. qua etiam mediante paulatim experientia intelligit, palmitem amoris diuini purgandum, ut fructum plus afferat: Tum demum subsequutura [deuotissima & e utilissima vita, quæ secundum modum, & rationem exerceri potest. Nam tota vita eius est dare seu offerre quidquid est, habet, aut præualet, & à Deo exigere quidquid eius infinitam magnificentiam misero peccatori dare condecet; se penitus per affectum, & etiam effectum, iuxta status sui conditionem,

Rr 3

a Ioan à crude obscuro noct. l. 2. c. 9. *b* Ierem. 49. *c* Harph. l. 3. p. 4. cap. 27. *d* Iob. 28.
e Harph. l. 1. d.

ditionem, dilecto conformare in omnibus virtutibus, & virtuosis actibus secundum eius humanitatem: & denique quotidianis vigorosissimis, & violentissimis quibusdam aspirationibus se dilecto, secundum eius diuinitatem totaliter pro posse conuire.] porro quam necessaria sit hæc priuatio ad modum operandi supernaturaliter, consequenter dicemus,

In hac priuatione omnes ad supernaturales modos operandi disponendos concurrere, siue amoris, siue ariditatis via processerint.

ARTICVLVS QVARTVS.

QUOT capita tot sententiæ, non tam in theoria, quam in praxi videre est; interea dum status incipientium, & proficientium in mysticis exercitationibus teruntur; euincit hoc admiranda illarum viarum, sequelarum, procedendique modorum diuersitas: quidam enim à speculatione creaturarum, quidam verò ad studio mortificationis, aut virtutis, alij à meditatione Passionis Domini, nonnulli ab aspirationis facilitate, & affectu, interiorem recollectionem auspiciunt; obtingit aliquibus vel in initio, amicabilem introuersio primæ præsentia Dei, alij in statu contemplationis, & proficientium vix horum quidquam obtinent: frequenter etiam in praxi contingit, vt ex contemplationis statu, ad explicitum aut

meditationis, aut aspirationis exercitium quis relabatur, paucioribus autem conceditur vt ordinatè, & consequenter omnes, & singulos status, dispositiones, & operationes, (notabiliores saltem) in amorosa fruitione percurrant. strenuis itaq; Christi amatoribus transcendendum est per ignem, & aquam, priusquam educantur in refrigerium; dum igne amoris diuini consumpti, & aqua desolationis abluti, disponuntur in hac rigida spiritus diuini carentia, in vnitatem doni operandi supernaturaliter, & conformiter substantialijs separatis.

Interea verò dum hæc fiunt, & athleta spiritualis à sensibilitate ablaçtatur ad cibum solidum; vult Pater familias b vtraque crescere, & zizania scilicet, & triticum; proprium, & diuinum amorem; ne fortè ante messem, & tempus maturitatis, si nimio rigore, & perfectione, infirma elementa examinassent, simul quoque triticum, & solatium pio animo necessarium, eradicatum fuisset: vndè facilè defecissent qui de domo Patris, & cognationis suæ, (in via perfectionis Christum insequentes) egressi essent. idè etiam [cum Dominus c omnem sollicitudinem à Discipulorum cordibus eiecerit, & ostensione signorum armauerit, atque ab omnibus negotijs sæcularibus alienatos, & ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo, atque adamantinos fecerit; tum denique euentura illis aduersa prædicat, scil.

a Vt latius i. p. decis. 9. b Matth. 13. c Chrysof. hom. 34. in Matth. passio.

passionem suam qua crucifixus pro peccatis populi moreretur; & passionē illorum, quando ipse mitteret eos sicut oues inter lupos, ab ipsis tandem dilacerandos.] atq; ita etiam ex Ægypto populum electum a eduxit Dominus cum auro, argento, & exultatione, ut non esset in tribubus eorum infirmus; dein in deserto loco horroris, & vastæ solitudinis constitutum, dura, & plurima aduersa perpeti voluit. Quanto amplius etiam ipsi met volentibus, alia, cæpas, pepones, & ollas carniū desiderantibus, in Ægyptum redire non poterant. est enim tanta animæ & spiritus in priuationis fundo patientia exercenda, ut etiam amantissimi Domini, si in funiculis Adam non traherent, & in vinculis charitatis non constructi essent, fuga, & ab interioritatis recessu, sibi consulere.

Verè enim in hac priuatione res pro anima est, & fornax illa diuino amore succensa nimis, in qua [sicut artifex b liquefactis metallis formam, quamcunque voluerit imprimit, sic anima ad omnem diuinæ voluntatis nutum se facile applicat, imò spontaneo quodam desiderio, ad omne eius arbitrium se ipsam accommodat, & iuxta diuini beneplaciti modum omnem voluntatem suam informat, ut obediat cum Christo vsque ad mortem.] vndè etiam eiusmodi, multa cum fiducia dicere solent [si nos, ô Deus piissime, c vel seruire vel perdere volueris, potestas pe-

nes te est, fiat de nobis sanctissima voluntas tua. Vbi verò huc pertigerunt, iam adepti sunt, quod Dominus volebat, cui etiam perinde est, quibus modis, quaque via huc perueniatur.] itaque Christo Domino vsque ad mortem, in manus patris æterni resignato, tanquam [exemplari d quilibet se debet conformare, qui vult summæ charitatis gradum attingere,] & ad modum supernaturaliter operandi, concurrere.

Denique ut quilibet in tanta praxis varietate, interiora sua præparauerit; e si quis ædificauerit super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini (& rigidæ huiusce priuationis) declarabit. Quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale fuerit, ignis probabit. quasi diceret, sicut hæc inter se differunt, præstantia & vilitate; & tamen singula per ignem probantur: sic etiam quantumcunque aliquis humili, simplici, sterili, aut amoroso, feruenti, & sublimi medio erexit fabricam, & seriem totius ædificij spiritualis, ad portum vsque modi operandi supernaturaliter: tandem exacta illa perscrutatio, & consumptio imperfectionum, (quæ circa praxin diuinarum fruitionum contingere solet,) disquiret, & vnicuique notum faciet, quidnam discrepet inter mundum, & immundum, vile & pretiosum,

a Psalm. 104. b Richard. de 4 grad. viol. char. c Taul. in Fest. plurim. Martyr. d Richard. Ibidem. e 1. Cor. 3.

tiosum, animale & spirituale, naturale, & supernaturale; ac tandem ad vniformem modum supernaturaliter operandi, concurrere faciet. cæterum per hanc denudationem, mysticum ad internam spiritus subtilitatem quodammodo vrgeri, ex sequentibus constabit;

Perfectionem amoris non consistere in eo, vt fiat sensibiliter, sed spiritualiter, magis intensus.

ARTICVLVS QVINTVS.

EX iam dictis quæri potest, in quo ergò amoris progressus, & perfectio consistat; quandoquidem omnis eius bene-afficientia, & sese adiuuandi, aut operandi exercitia, paulatim à summis per media, ad infima vsque disparuerint. itaque considerandum venit, nonnullos sibi imaginari, augmentum amoris diuini fieri, ad similitudinem amoris creaturarum, qui secundum affectus, & passiones sensibiles paulatim excrefcit; ita vt si fuerit hodie intensus vt duo, post aliquot tempus sit vt quatuor, dein vt quinque, & ita consequenter. quæ quidem opinatio si à parte rei fieret, modico certè tempore, aut mysticus ab amore Dei recederet, aut vitæ necessario fungi deberet. Vires enim humanæ limitatæ, & admodum debiles, ex infinito amore primi, & optimi Boni; continuò intensiores redditæ, quomodo subsisterent? quapropter

ignis, seu amor sensibilis, qui ad creaturas, & creatorem est communis; [ardorem habet, sed a non amorem (scilicet defœcatum) coquens est, sed non excoquens; mouens, sed non promouens: tantum ad excitandum præmittitur, & præparandum; simulque ad commonendum quid ex te sis; quo dulciùs sapiat postmodum, quid ex Deo mox eris.] ignis autem illius amoris, quem anima tandem secundum spiritum assequitur, [b consumit quidem; sed non affligit, ardet suaviter, desolatur feliciter.]

Itaque sicut [ignis c in materia terrea est carbo, in aëre flamma, in propria sphæra est ignis.] ita amor sensibilis, & affectus inquietè mouens, est imperfectior illo, qui in spiritu, & pura contemplatione, paruo lumine vrit penitiùs: sicut etiam tenuis candelæ flamma, liquefacit citiùs, & subtiliùs, quam prunarum cumulus. at in se ipso, & propria sphæra communionis consortij diuinæ naturæ, Essentialiter, & indicibili modo, accedentem, vnum secum perficit. ita vt siuè in corpore, siuè extra corpus sit, nesciat. debet ergò amoris perfectio ex eo quod magis spiritualiter, & non sensibiliter mouet, considerari: & ex vsu doni sapientiæ, pro vt charitatis d effectus est; vitali immanencia perfici: quo ita ceu ex ipsis visceribus voluntatis cognitio conformis angelis, sine discursu, & simplici intelligentia, species, seu similitudines, primi, & optimi diligibilis, in spiritu formari possint.

a Bern. serm. 57, in Cant. b Bern. Ibid. c S. Tho. opusc. 61. d Sup. dec. 1, a. 2.

possint. interea verò poterit sensibilis diuinus amor, dum sensitiuæ passiones, & premunt & penè supprimunt; moderatè adstare, & confortare, quousque id quod animale est, euacuetur. hoc autem quam durum sit priusquam vitaliter in praxi eueniat, consequenter dicemus,

Quare hac priuatione durante, sint in Mystico tam graues animæ, & Spiritus afflictiones.

ARTICVLVS SEXTVS.

AD [bonum & magnum quod (anima) habuit ex duplici sensu, scilicet interiori, & exteriori benè ordinato, malum magnum secutū est; quoniam perditō bono quod intus erat, egressa est anima ad bona aliena, quæ foris erant, & pactum fecit cum delectationibus sæculi, requiescens in illis, non attendens homo boni sui interioris absentiam, eo quod consolationes suas quærat in bonis alienis. nam cum exterior sensus carnalis bono suo foris vitur, interior sensus quasi obdormit. non enim cognoscit bona interioris sensus, qui iucunditate bonorum exteriorum capitur. nam qui in carne viuunt, in carne sentit, & dolores animi fugit quantum potest; vulnera autem animæ prorsus ignorat. vndè non medicinam quærit sequitur. cum autem mortuus fuerit sensus animæ quo viuunt in carne, tunc

uiuificari incipiet sensus ille qui intus sentit seipsum, scientia scilicet experimentalī, & tunc sciet dolores suos, & sentire incipiet vulnera sua interiora tantò grauius, quantò propinquiùs. magis enim nocet malum quod magis intimum est.] hisce positis necessariò [amor blanguens, qui nihil aliud est, quam tædium quoddam impatientis desiderij, quo necesse est affici mentem vehementer amantis absente eo quem amat,] subsequi debet. [si enim Deum c̄ adipisci non liceat, neque eo tamen fraudari, aut carere animus velit, aut possit, ex his duobus in eiusmodi homine quædam foris, & intus existit, & oritur æstuosa impatientia, quæ quamdiu durat, nulla est creatura, neque in cælis, neque in terris, in qua illi vel quietem, vel aliquod solatium, capere libeat.]

Itaque desolata sensualitate, ex cessatione prioris habitæ fruitionis, siue paruæ, mediocris, aut etiam maximæ; pro vt ratio, status, & conditio profectus interni exigere poterat: remanet solummodò in anima id, quod spirituale est, & tanquam apis argumentosa, ex tam frequenti, sollicita, & amorosa disquisitione collegerat. spirituale autem hoc cum non sit nisi dispositio, præambulum, & vmbra-rica quædam visio, futuræ vnionis supernaturalis amoris, non est vllatenus sufficiens ad contutandam partem sensibilem, ab infinitis tentationum insultibus: quibus esto spiritus ad

Ss

con-

a S. Bonau. 2. & 6. Itin. ater. d. 3. b S. Bern. c Rosbroch. de orn. spir. nupt l. 2. c. 24.

consensum non pertrahatur; attamen non sine speciali animi tristitia, naturæ vitiatæ insolentia, susque deque circumagitur. hoc enim loco [principium intellectualis visionis, quod est aliquod lumen habituale, naturali lumini rationis superadditum, eeu lumen internum, priuatur ab animas: & talis priuatio est cœcitas, quæ est pœna secundum quod priuatio luminis gratiæ vt quædam pœna ponitur.]

Est ergò hæc spiritualis dispositio bonum inchoatum duntaxat, ex quo etiam [rationem mali habet, in quantum est defectus, b imbecillitas, aptæque compositionis vacuitas, ac priuatio, aut scientiæ, aut fidei, aut appetitus, aut actionis boni. non quod in nobis malum insit, quasi sit aliquod malum, sed quod perfectionis bonorum priorum, & accommodatorum sit priuatio.] malum enim animi non est habere aliquid; sed potius non habere, non habere inquam, bonum. non, inquam, quodlibet bonum; sed bonum propriè suum, ad quod videlicet consequendum, est naturaliter inclinatus.

Est insuper eiusmodi spiritualis dispositio, non tantum vsque ad eò in se nuda, vt nihil in partem sensibilem influere, eamque emollire possit; verùm etiam in se ipsa tam est solitaria, vt instar animæ in purgato-

rio diuinæ visionis carentiam, æquo animo ferre debeat. vndè etiam duplici malo hic afficitur, primò quidem, quod sicut in sensibilitate nihil diuinæ consolationis experitur; sic etiam in alijs quibusuis rebus creatis tædio afficitur. secundò verò, quia in ipsa spiritus sui intimitate, ab actuali amabili fructione excluditur. sicut proindè nihil delectabilius, quam secundum optimum sui Deo potiri, ita quoque nihil pœnosius, tristiùs & magis tædiosum accidere potest, quam vndequaque, & quoquo modo amoris diuini vsu, & exercitio priuari. idque ex eo vel maximè, quod licet subindè, in praxi [aliqua diuina solatia contingant,] id tamen rarius fieri soleat, & ad modicum perseuerare; è contra verò diu, hæc mystica solitudo persistente.

Præterea quomodo pia anima non viuacissimè doleat; cum purgatio amoris summo dolore, in vitales affectus agat, & contrariæ, intensæque passiones sibi immediatè succedant; & charitas modò cœlica sanitate, & consolatione animam bene-afficiat, modò per sui subductionem, languore tartareo cruciet. Quandò vehementia charitatis exandescens, pro virili conatur, vt neque mors, neque a vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque

a S. Thom. 2. 2. q. 15. a. 1. c. b S. Dion. de diu. nom. c. 4. c Ioan. à Cruc. de obscur. noct. l. 2. c. 1. d Rom. 8.

que profundum, neque creatura alia, possit eam à Deo separare; at nihilominus contrario sensu experiri cogitur, quod [charitas *a* vulneret, charitas liget, charitas languidum faciat, & defectum inducat.] quodque sentiat aliam legem repugnantem legi mentis suæ, & omnes tentationes *b* in hac priuatione redeant, quas superasse credebatur: quousque etiam viuere tædeat; & oret, Domine sufficit mihi, & tolle animam meam.

Verum cum iam dictæ afflictiones internæ, ex proxima, & infima causa sensibilis scilicet partis, & pro vt [affectiua *d* passio sit secundum aliquam constrictionem, aut dilatationem cordis] eueniant; ad perfectiores & sublimiores causas, & pro vt à Deo in ordine ad amoris depurationem, effluunt, animus erigi debet. itaque primò [occultissimos *e* filios suos Deus, nullis aduersitatibus, nullisque tribulationibus, & desolationibus contristare potest, vtpotè ad omnia perferenda paratissimos, nisi duntaxat in his, quæ quandam obdurationem, & inuidiam contra Deum eis ingerere videntur, hinc est, quod eisdem impugnationibus illos occultissimo suo iudicio probare frequenter experitur.] & [dolorem *f* dolori Deus superaddens, illos tandem actualiter sinit per-

sequi, despici, derideri, ac velut insanos, & obsessos reputari, etiam ab his, qui sæculari honestate, probitate, scientia, & sanctitate præditi videntur:] & quamuis [sint alij qui propriè non dant *g* causam derelictionis, & peruerfitatis istius: Deustamen permittit talia circa eos, duntaxat ad probandum funditus amicos fideles.] ipse namque spiritus Sanctus per dona sua tanquam fortior superueniens, ex fundamento armaturam originalis peccati alligat, conterit, comminuitque; ac tandem nudatam, & debilem proscribit. quia verò [peccatum originale *h* est habitus, non quidem sicut scientia; sed sicut quædam inordinata naturæ dispositio, & languor consequens originalis iustitiæ priuationem;] quo etiam [non tantum vitiatum sumus in potentijs *i* remotis, sed etiam proximis: quin etiam in ipsa voluntate, quæ omnium potentiarum est regina, & animæ essentiam per prius contingit,] non potest tam intima, & aduersa pars, cum naturæ vitiatæ malignitate, absque rabidissima resistentia, & exulceratione suffocari: & tum verè nil efficacius esse solet ad odium sui ipsius, & ad agnitionem gratiarum Dei vsque ad eò deducere, quam proprii spiritus à Deo sollicitas, & derelictio;

S s 2

in

a Richard. tract. de 4. grad. char. viol. *b* Taul. in fest. Pent. serm. 3. *c* Iona. 4. *d* S. Tho. Contr. Gent. lib. 1. cap. 89. *e* Harph. lib. 3. p. 3. cap. 25. *f* ibidem. *g* Harph. lib. 2. part. 3. cap. 49. *h* S. Thom. 1. 2. quest. 82. artic. 1. c. *i* ibidem quest. 83. artic. 3. c.

in qua seipsam anima, vt amaritudo amarissima, & sibi metipso in intimo sui spiritus, intolerabiliter grauis est, degustat. [sicut autem relinquendus erat homo sibi ipsi, (scilicet ante redemptionem) vt experiretur quod ipse sibi non sufficeret ad salutem :] ita profus in amaritudine animæ suæ, vsque ad supremum relinqui debet mysticus ; vt deinceps de magnitudine reuelationum, & gratiarum nihil sibi ipsi attribuere possit, etiamsi indies non tantum in Ecstases, & raptus abiret, verum etiam vsque ad Dei claram visionem eleuaretur. secundo verò ideò vel maximè viget dolor amaritudinis corporis, & spiritus, vt discat ibi se posse summè bene-affici, vbi se sentit tam dirè cruciari. quod quidem vbi, seu mentalis situs citra experientiam, nulla ingenij subtilitate potest adipisci, cum solo gustu possit inueniri.

Et certè [istiusmodi deserto b homini vsu venire solet, vt quamdiu hæc derelictio perseverat, ne vna quidem hora, in eodem queat statu permanere, sed modò sic, modò aliter affectus sit: modò hoc, modò illud eum torqueat, quod & ipsum ad extremum vsque animo resignato perferendum est.] & pro solatio ducendum, si possit stratum suum, cum lachrymis rigare: [c per fletum enim, & gemitum animi intentio. quæ est circa malum ad exteriora diffunditur, fletus quo-

que & gemitus dolorem, & tristitiam naturaliter minuunt.] interea verò [istis mirabilis corona d martyrij in æterna vita præparatur : quia non potest martyrium grauius ista derelictione sustineri; quæ tam importabilis est, vt eam Augustinus, & Bernardus assimilent infernalibus pœnis:] mitius tamen in vno, quam in altero hæc contingere, ex sequentibus clarescit;

Non omnes sentiunt æqualiter rigorem Priuationis.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Nemo ex dictis horrorem concipiat, aut sibi ignoranter persuadeat; pœnosam illam diuini amoris carentiam, directè à Deo infligi, ad puniendum duntaxat; nam eo quam maximè respicit hæc spiritualis mors, vt in tantum ab omni affectu rerum præsentiarum diuidatur animus, quo nihil vsum fruitionis diuinæ impediatur; quapropter etiam non omnes, & singuli æqualiter rigorem hunc subeunt; sed pro vt naturalis cuiusque dispositio, ac inordinatus vitiorum appetitus, vel etiam futura reuelationum magnitudo, exposcit. Vnde alijs d est obscura nox, alijs concertatio, alijs priuatio, alijs diuisio animæ & spiritus, alijs spiritualis mors, alijs languor infernalis, & quædam desperatio. alij verò (quibus mansueta, humilis, & ad

a S. Thom. Contr. Gent. l. 4. c. 55. b Taul. in Fest. Pent. ser. 3. c S. Thom. 1. 2. q. 38. art. 2. d Harph. l. 2 p. 3. c. 49. e Vthica. 10

ad quæuis bona agenda facilitas, & benigna passionum subordinatio adstat) modicam naturæ rebellionem sentiunt. licet diuino solatio sint destituti, leuiusque omnia ferent illis, qui acrioribus vitiorum stimulis fluctuant. alij verò, qui in quouis tandem statu, & modo, peccatorum illecebris voluptuosè dediti fuerunt, dum in soleitate propria versantur, præteritorum factorum viuacissimas representationes, passionesque persentiscunt. fortè ideo, vt diuinæ iustitiæ, eo purgatorio satisfiat, & videant quia malum *a* & amarum est, reliquisse Dominum Deum suum, hinc etiam dicitur Dies *b* Domini, qui in igne scilicet huius priuationis reuelabitur, declarabit, vt si cuius opus arserit, detrimentum patiat; ac si dicat, si quis puritate vitæ, sine labe affectuum inordinatorum, & graui aliqua culpa, vitam suam transegerit, in tempore huius combustionis spiritalis, manebit quoque sine magna sensualitatis tristitia constans, & immobilis, in tam arido spiritali ieiunio: si quis autem affectibus, peccatis, & vitijs, in superiori vita indulisset, hoc tempore ab igne purgatio tanquam stipula, & palea, secundum animales affectus, & intellectuales commissos errores, ad purum excoquetur; vt per ea per quæ peccauit, per hæc & puniatur, dum contra omnem voluntatem vitia insolescunt, & pia, puraque desideria mirum in modum fatigant: ipse autem saluabi-

tur tandem consecutione supernaturalis operationis, quæ pro statu vnionis quasi ex periculis, & miserijs, viribus destitutum, & aduenientem, læta suscipit; post infusionem *c* gratiæ doni intellectus supernaturalis.

Nonnulli etiam sunt, qui vsque ad eò post primam, & secundam Dei præsentiam, in statibus incipientium, & proficientium transactam; per resignationes, & ariditates quotidianas in interioritate ita obriguerunt: vt tempus priuationis non obseruaerint, illamque inscij quotidie omnes internas amarulentias pene deglutendo, pertransierint, vixque de illa dicere aliquid valeant; non quod eius calicem non biberint, eoque sat superque inebriati non fuerint; sed quod iplos latuerit, ibidem esse veras, & à Deo ad hoc directas operationes, ceu cribrum spirituale, vile à pretioso separans. & hi ergò [martyrium illud quo spiritu facta carnis mortificantur horrore *d* quidem mitius; at diuturnitate molestius] subierunt. ita tamen vt dum in his tenebris ambularent, semper anxij, & confusa interioritate, omnes propemodum actiones suas maxima inquietudine peragerent; cum potius pacifica in Deum fiducia, & totius compositi, omnium scilicet inferiorum & superiorum potentiarum, ac interioritatis confluxu, ad puram excoctionem scoriæ inordinati amoris, collimare debuissent. Inter hos verò
Ss 3 qui

a Ierem. 2. *b* I. Cor. 3. *c* Hic n. 10. *d* S. Bern. in Cæn. Dom. serm. 2. & in Cant. ser. 30.

qui sub incerto currunt, (hac priuatione durante) nulli vsque adeò exagitari videntur, quàm illi qui studio prædicationis, Philosophiæ, aut Theologiæ prælecturæ, sese impendere habent. cum enim ex officij impositi natura, & conditione, intellectualem viuacitatem adhibere cogantur; priuationis verò efficacia non tantum inferiorem hominem, eiusque inordinatas passiones eradicare gestiat; sed etiam omnia perscrutetur, vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, omnesque cogitationes, & cordis intensiones, discernat: tantam intellectus caliginem, & cæcitatem excitare solet, vt ab eiusmodi, (alias licet doctissimis viris, & perspicacissimo ingenio pollentibus,) ratio, mens, & consilium fugiant, omnique eorum sapientia deuoretur, ac homini stupidissimo in suis functionibus assimilentur. vndè etiam subsequitur vt nisi sese diuinæ providentiæ, toto corde, & plena voluntate accommodauerint; in delirium, stultitiæue se abituros, penè omni momento sibi videantur. quapropter à Domino Deo, qui in sui dispositione non fallitur, omnem intellectus suppressionem humiliter suscipiant, ac singulari memoria recondant; quod licet finita hac spiritali depuratione, in sequentibus statibus, ad tam enormes intellectus tenebras relapsari non sint: cum tamen ordinata vicissitudine, ad infimas amoris regiones deuentum fuerit, aliquam saltem intellectus

retractionem, & obnubilationem, se incururos. amor enim cum in infimis sphaeris seu sitibus, sub nunc collecto, & fundo, centro operatur, tan toperè ad intima, & abdita voluntatis latibula sese recipere solet, vt intellectus actiuitatem, seu operosam actionem, vt venenum reijciat, & tanquam hostem formidet, simplicique intelligentia, & silenti notitia fulciri velit.

Denique tantum quilibet de hoc calice bibat, quantum ipsi à patre luminum dispositum est, in hac vita gloriosius transformari, in eum, qui est splendor, & figura substantiæ Patris. Fidelis interea est Deus, qui non patitur a nos tentari supra id quod b possumus; sed etiam cum tentatione facit prouentum; & ita deducit ad inferos, vt reducat; ita accedentem amore repellit, vt tamen eius affectum, & desiderium super omnia sibi alligatum, constringat: licet diu, multumque in amoris diuini purgatorio perseveret, pro vt ex sequentibus videre est,

Quot annis probabiliter duret status priuationis.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Sicut non omnes æqualiter sentiunt rigorem priuationis, sic etiam non æquè diu apud omnes durare, vtile erit ostendere. itaque depurationem amoris, determinatos absumere

a 1. Cor. 10. b Vt hic art. 9.

sumere annos, constat ex nonnullis. & quidem de sancto Patre nostro Francisco duos annos carentiæ, familiaritatis diuinæ legimus. Taulerus octo annis à Deo rogauit aliquem, qui in via perfectionis ipsum instrueret; & eo obtento b duobus annis mirabiles internas vicissitudines, & desolationes sustinuit. Sulo per decennium diuina carentia ablaçtabatur. Decem c quoque annis Beata Catharina Genuensis, mirum in modum interiores diuinæ præsentia absentias, passa est. Beata Clara de monte Falco d quindecim annos huic priuationi impendit. Aluarez post e lexdecim annos in vita mystica exantlatos, nouam lucem, nouum gaudium, nouamque internam beatitudinem est consecutus. Maria Aegyptiaca f septemdecim annis in affectibus sensitiuis, & erroribus intellectuabilibus defœcata, ad purum decoxit scotiam suam. Sancta Mater Theresia octodecim annis, nullam singularem Dei amicitiam experta est. inter illos autem, duos g tam intolerabili spiritus angustia transiegit, ut nulli rei aptius eam comparare posset, quam pœnis, & supplicijs damnatorum in inferno. Thomas à Iesv [viginti h & eo amplius annis etiam euolutis diligentissimè plurimorum vitorum doctorum scriptis, solum speculatiuè

percipere non potuit, quidnam esset suprema & cœlestis hæc animæ cum Deo vnio, tot Sanctorum Patrum encomijs ac laudibus celebrata, donec tandem & cætera.]

Et ne quis animum despondeat diuino labore pertæsus; hortatur i Taulerus, ut si vel quadraginta annis in desiderio, siti, & expectatione Dei quemquam morari oporteret, merito hoc libenter, ac patienter in vera resignatione, pro acceptissimo Dei beneplacito pati deberet. cuiusmodi resignationi pro solatio accedit, quod Abram k cum nonaginta nouem esset annorum apparuerit Dominus dicens, ambula coram me, & esto perfectus. Entoch etiam, & Elias post plurima diuina colloquia, tandem prius ad singularem Dei amicitiam translati sunt. & quidem Sanctus Bernardus ad vltimum huius, vel initium æternæ vitæ, hanc spem, & patientiam extendit; vndè, inquit, [I si o homo vitam excellentem, & sanctorum appetitis, si Deum pro hac continue deprecaris, certus esto quia si perseueraueris pulsans, ipsam haud dubie consequeris. si non in vita, saltem ante mortem, per diem, aut horulam vnã. quod si nectunc obtigerit; inuenies ipsam in Deo in ipsa æternitate.]

Apud alios indeterminatum quidem,

a Chron. ord. b Tauler. pag 833. c in vita ipsius pag. 18. c 2. Part Dial. d Apud Harph. lib. 2. part. 3. cap. 3. e Aluar. in vita ipsius cap. 2. f In vitis Patr. de vita ipsius. g Episc. Tiras. in eius vita lib. 1. cap. 12. h De orat. infusa in presat. i Epist. 24. k Gen. 17. 18. Bern. apud Taul. serm. 2. Dom. 5. in Quadrag.

dem, attamen in longum protractum tempus reperimus. Vndè Bernardus ^a non sine audientis commotione, [en gratia ipsius, inquit, multis iam annis castè, sobrieque vivere curo, lectioni insisto, resisto vitij, orationi incumbo frequenter. Vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. sine querela me arbitror, quantum in me est conuersari inter fratres. superioribus potestatibus subditus sum; egrediens, & regrediens ad imperium senioris. aliena non cupio; mea potius, & me pariter dedi; in sudore vultus mei comedo panem meum. cæterum quod in his omnibus est, totum constat de consuetudine, de dulcedine nihil. quid nisi (iuxta Prophetam) vitula Ephraim sum, docta diligere trituram? denique in Euangelio qui hoc solum, quod facere debet facit, seruus inutilis reputatur. mandata forsan utcunque adimpleo, sed anima mea sicut terra sine aqua in illis.] Barbansonius quoque noster ^b tanquam singularem spiritualis tristitiæ causam, adfert, quod tam diu, & ad annos quasi duret.

Cæterum dubio procul, nemo ad actualem vsum modi operandi supernaturaliter pertingere potest, nisi per dispositionem ^c huiusce rigidæ priuationis; (defœcato, & purificato animo) suiipsius integrè compos ef-

ficiatur, bonamque subordinationem, omnium, tam inferiorum, quam superiorum virium consequatur. id quod passim in schola mystica, & signanter à Dionysio ^d asseritur. [insistens, inquit, vestigijs eius, qui pro benignitate sua primus athletarum fuit, cum certationibus, quæ ad Dei imitationem accedant, & actiones, & res, quæ ipsi, ne ad diuinitatis societatem perueniat, aduersantur; luctando superauerit. tum denique vna cum Christo, vt mysticè dicam, in baptismo, peccato morietur.] neque mirandum est, si in praxi, & vfu mysticæ felicitatis consequendo, tanta subinde protrahatur mora; quandoquidem [vix in vltima et etiam ætate, homo ad perfectam speculationem scientiarum peruenire possit.] id quod Sapiens aperte confirmat, cogitavi, inquit, in corde meo abstrahere à vino carnem, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam, donec viderem, quid esset vtile filijs hominum, quo facto, opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.

Ordinariè tamen, secundum quod hæc priuatio per se statum, & immediatam ad modum operandi supernaturaliter dispositionem, efficit; non solet ultra quatuor, aut quinque annos durare, pro vt in diuersis mysticæ praxi singulariter deditis experientia

compro-

^a Bern. serm 9. in Cant. ^b De Occult. sem. p. 2. c. 10. ^c Hier. 2. ^d De Eccl. Hier. cap. 2.
 e S. Thom. l. 3. contr. Gent. c. 48. f Eccles. 2.

comprobauimus *a* quod tempus etiam Taulerus *b* obseruasse legitur. refert enim de [quodam sui temporis Dei amico, quod Deus omnia, etiam singularissima dona sua ei subtraxerit, & per quinquennium, absq; omni consolatione, in magnis tentationibus, angustijs, & calamitatibus eum dereliquerit.]

Porro incredibile est dictu, quantum solatij accedat ijs, qui in actuali praxi tam amarulenta diuinorum carentia, agonem suum decertant; cognoscere, & certificari, hanc durationem non tam ex ipsorum peccatis transactis, defectibus, & negligentijs in presentiarum commissis, quam ex ordinario diuini amoris profectu, & affectuum, errorumque depuratione, oriri. cum enim frequenter animum quasi despondeant, hac vnica certitudine nonnihil respirant, humiliter expectantes, dum moram facit sponsum venire. quod dum fit, expedit omnino, vt in mystica praxi [aliquis versatus *c* quærat; qui auxiliatricem manum porrigat] [ad presentis enim vitæ beatitudinem, amicorum *d* societas requiritur, vt illis ad opera vitæ actiue, & contemplatiue præstanda, iuuetur, oblectetur, & exerceatur homo] ne fortè vel etiam in hoc agone decertans, deficiat in via. & ideò etiam licet [plures anni *e* in hoc proficientium, & priuationis statu transeant: interea tamen fit aliquod subinde *f* interstitium ab intenso dolore; alioqui in

paucis *g* diebus anima corpus desereret;] lassoque datur requies, & robur, vt in finem sustineat: pro vt iam consequenter dicemus,

Dono fortitudinis statum Priuationis durare tamdiu.

ARTICVLVS NONVS.

A Nimum etiam infractum, quasi imbecillum facit, ac terret, diuinæ carentiæ tam diutina molestatio; sed propter nimiam corruptæ naturæ à cœlestibus separationem, non potest facile magnum illud interpositu chaos transmeari. prauum enim est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscat illud? & quis non, si cum Ezechiele Propheta a spiritu eleuatus in visione Dei, coinquinationes cordis humani penitiùs perscrutaretur; quis inquam, non vnã post alteram abominationem, eamque semper maiorem, ad primum vsq; à Deo auersionis principium, perfoderet? vltima enim, & pessima abominatio quam Ezechiel *b* deprehendit, erant viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem; qui etiam adorabant ad ortum solis. ita profectò licet plurima sint peccata; attamen [originale *b* peccatum secundum eam quam ad actum habet inclinationem, consideratum; immediatè post essentiam animæ, quæ primum

T t m m

a vt accuratius in praxi par. 4. a. 6. *b* Institut. c. 1. *c* Rusbroch. de ornat. spirit. Nupt. c. 30. *d* S. Thom. 1. 2. q. 4. art. 8. c. *e* Ioan. à Cruc. de obscu. noct. l. 2. c. 1. & c. *f* c. 7. *g* c. 6. *h* Ezech. 3. *i* S. Thom. 1. 2. q. 83. a. 3. c.

rum est reliquisse se Dominum Deum suum, ac in originali, & actuali corruptione non fuisse timorem eius in se. idq; non solum per modum actus transeuntis; sed omnino per modum immanentis, & status. sicut non dicitur homo mortuus, quando primum mouens, siue cor ad aliquod spatium interpolatè, à pulsù deficit; sed quando ita deficit, vt amplius potentiam redeundi non habens, & motu, & natiuo calore, atque operatione destituatur. eousque ergò hæc pœnosa spiritus tristitia persistit, donec omnes æruginis humanæ sensualitatis confricatas, ad puras operationes supernas reddiderit perlucidas. sicut autem ossa arida diutius persistunt, quam fluida, emortuaque caro; sic etiã inordinata spiritus nostri deprauatio difficilius, & tardius ad susceptionem diuinæ bonitatis, emollitur tempusque ad putredinis suæ latibula curanda, longius absomit; & necesse habet, priusquam illi sensus cum Nabuchodonosor restituatur; ac spiritali gustu bene-afficiatur, vt super ipso mutentur, dies, anni, & tempora.

num eius est subiectum, voluntatem respicit,] voluntas autem cum sit prima potentia immediatè post essentiam animæ, sic vitiata, omnes deindè potentias, earumque actus deprauat. ita vt perquam pauca opera à nobis fiant, que non aliquo imperfectionis neuo laborent: præsertim si ad perfectiorem modum examinentur. hæc etiam deprauatio, quantum ad vsum, & exercitium, [saporem *a* interiorem, ab ipso penè exordio generis nostri perdidit.] nam [inter naturæ bona *b* originalis iustitia in totum sublata est per peccatum; potentia autem essentialis esto nec sublata, nec diminuta sint; ac ipsa etiam naturalis inclinatio ad virtutem, esto quidem sublata non sit, valdè nihilominus diminuta est per peccatum.] Infœlix ergò hæc animæ nostræ calamitas, triplici confusione nos illaqueat. primò quidem quod inordinata passione creaturis afficiamur: secundo verò quod in nobismetipsis vsque ad intima quæque spiritus nostri contracti, & nudati; auersionis propriæ indicibili luctu, tabescamus: Tertio autem quod Deum non expeditè amemus, nec intelligamus.

Præterea cum experimentalis notitia, non detur sine vitali gustu, & proprio spiritali sensu, oportet tamdiu sensum animalitatis, & propriæ quæsitiois dispergi, & emori; donec plena totalitate videat, quia malum, & *c* ania-

Interea verò dum [nulla eos vel in tempore *d* vel æternitate creatura solari potest; sed inter tempus, & æternitatem vel suffocari, & strangulari eos oportet; donec ab hoc animæ suspensio Deus pijsimus eos absoluat,] superest diuinæ gratiæ auxiliatrix manus, & [domino *e* fortitudinis animi constantiam

a S. Bern. f. 85. in Cant. & apud S. Bonau. 6. Itin. ætern. d. 3. *b* S. Thom. 1. 2. q. 85. a. 1. c. c. 1. r. 2. *d* Taul. Instit. c. 12. & Thom. à IESV de orat. inf. l. 3. c. 6. *e* S. Thom. 22. q. 123. a. 5. c. & q. 124. a. 5. ad 3.

præbet; non tantum circa quasunque molestias; sed etiam circa molestias mortis:] [& diuisionis animæ ac spiritus. quæ martyrio longè *a* acerbior est,] & [aliud martyrij genus, non illud vitæ; quo colla secantur ferro, sed horrore *b* quidem mitius, diuturnitate autem molestius.] & tales finaliter ad [amentem *c* seu insanum perueniunt amorem, ibique tantum accipiunt roboris & fortitudinis, vt parati sint ad omnia, totosque se ad Dei gloriam, ad omnem despectum, irrisiōnem, afflictionem offerant, quæ illis Deus occurrere volet, simulque in occultam diuinitatis sese abyssum projiciunt, offeruntque.]

Hinc etiam satis probabile videtur, donum fortitudinis mystico in infimo, & profundo delolationis constituto, plurimum roboris, & constantiæ adferre; quo ita quæuis sustinens, tanquam spiritualis quidam martyr patienter vsq; in finem agat; cuius nec fortitudo *d* lapidum, nec caro ænea est. Et certè [nisi inferioris *e* partis debilitas fuisset reformata, viresque ac robur in Deo per dulcem iucundamque cum eo conuersationem, qua alias fruita est, acquisiuisset; nec vires, nec dispositionem ad hanc depurationem sustinendam natura habuisset.] huic autem priuationi, quomodo tandem finis imponatur, clarum fiet ex sequentibus;

In fine huius priuationis infunditur anima gratia modi operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS DECIMVS.

TAndem, vbi pijssimus Dominus piam animam in virtutis studio, quasi adamantinam fecerit, agoni huius amoris finem imponit, iuxta illud *f* postquam afflixit, ac probauit te, ad extremum misertus est tui; & gratiam modi operandi *g* supernaturaliter infundit; non tam pro vt [gratia ipsam *b* animam perficit, Deo assimilat, & vita animæ dicitur,] secundum gratiam sanctificantem; quàm pro vt gratia est vita æterna, & communicatio diuinæ naturæ, ad actualement vnionem, & fruitionem exercendam, per dona intellectus, & maximè sapientiæ, à Deo infusa. [prima enim vnio *i* hominis (scilicet ad Deum) est per fidem, spem & charitatem, vndè istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum.] atque ita totum, quod fit in statu priuationis, est quædam *k* dispositio, & præparatio ad hanc gratiam. si enim [ad gratiam (scilicet sanctificantem) vt quoddam *l* donum habituale est in anima, quædam ex parte hominis præparatio necessaria est:] quantò magis congrua depuratione amor amicitia,

T t 2

tia,

a Taul. ser. 3. in Pens. *b* S. Bern. in Cœn. Dom. ser. 2. & in Cant. f. 30. *c* Taul. in Fest. plurim. Martyr. f. 1. *d* Job. 6. *e* Ioan. à Cruc. de obscu. noct. l. 2. c. 3. *f* Deut. 8. *g* de qua sup. 1. p. Dec. 1. a. 2. *h* S. Thom. in 3. dist. 13. q. 1. a. 1. *i* 1. 2. q. 68. a. 4. ad 3. *k* hic a. 2. *l* 1. 2. q. 112. a. 2. c.

tiæ, & familiaritatis diuinæ ad purum, tanquam argentum, & aurum purgatum septuplum, colari debet. hinc etiam rectè simile esse dicitur regnum *a* cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satistribus, donec fermentatum sit totum. quæ quidem fata tria, status priuationis tres *b* subdiuisiones (secundum quas scilicet aliter in *c* initio, aliter in medio, ac aliter in fine, se habet) ceu quasdam mensuras congruè intelligere possumus: vt harum amarissima fermentatione, tandem Christi panis mundus inueniatur, & ad illam prærequisitam passionum indifferentiam, silentiumque pertingat, in quo ea quæ sunt, & quæ non sunt, æquali complacentia suscipiat.

Dum ergò hoc medium *d* silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine de regalibus sedibus venit, & penè emortuam animam ilicò solari incipit. quando enim materia perfectè est disposita ad formam, eam recipit in instanti. Vndè diaphanum statim illuminatur, & Saluator noster *e* statim vt ascendit de aqua baptizatus, vidit cælos apertos. Paulum etiam *f* subito lux de cælo circumfulsit. quia nimirum [sub horula vna gressentè Dominus cum fulgore quodam illabitur, in eodemque fulgore amicè

admodum, suauiterque occulta in ipsos bonitas venit.] sicut cuidam Dei amico contigit [qui post *b* quinquennalem internam desolationem; tanta luce subitò circumfulsus fuit, vt nullis verbis illam exprimere poterit.]

Non tamen istiusmodi infusio semper æquè notabiliter, & intense, in praxi contingit apud omnes. nonnulli enim siue ex defectu practici directoris, siue alia quauis tandem ex causa, seu in interiori procedendi modo, ita statum priuationis percurrunt, & absolunt; vt potius cum assidua animæ tristitia sese retrogredi, quam progredi, malè quam benè secum agi, metuant. & hac insuper priuatione finita, (cum ex illius suppressione in interiori quasi callum obduxerint) hoc ipsum nec quidem aduertant, solacium admittere non audeant, nec etiam si Deus ad ipsos riserit, credant, quod eiectum suam reducerit. id vel ex eo maxime, quod huius infusa gratiæ conditio, pro primo in vsu, & exercitio spirituali, non nisi paulatim ab habita pressura, & captiuitate liberet, ac moderatè consortium diuinæ naturæ distribuat, ordinata *i* vicissitudine. iuxta illud, filij Dei sumus; sed nondum apparuit quid erimus: nemo tamen est qui finita priuatione (si hoc ipsum obserauerit)

a Matth. 13. *b* infra paraph. 2. 3. & 4. *c* vt supra in praxi paraph. 1. 3. & 4. *d* Sap. 8. *e* Marc. 1. *f* Act. 9. *g* Taul. ser. 1. Dom. 15. post Trin. *h* Taul. Instit. c. 1. *i* vt in praxi paraph. 3. 4. 5.

non indubitato Dei testimonio in se
experiatur, in posterum se tam graui
pressura, non amplius depurandum. &
hisce quidem de statu priuationis, pro-
ut immediatè ad statum vnionis dispo-

nit, breuiter dictis; consequenter de
ipso statu vnionis, prout per donum
intellectus supernaturalis procedit, di-
cendum erit.

* *
*

QVINTVS STATVS MYSTICVS EST VNIONIS.

DECISIO TERTIA.

SAT diuersa est inter sacros Contemplatores, de statu Vnionis,
& significatio, & explicandi ratio, ac methodus. ita vt non fa-
cile dijudices, num vniones tam multifariæ, ad statum, vel ad
actum, idque vel transeuntem, vel diu immanentem, vel etiam
dispositionem aliquam referantur; propriè, an impropriè quæ di-
cuntur, accipienda sint. Quapropter, vt ordinatè procedamus,
hoc loco de statu Vnionis, prout per se, non actum transeuntem,
vel improportionatum; sed statum permanentem, eumque, & à
precedentibus, & à sequentibus discretum, & ex natura sibi pro-
prium constituit: ac [minora a quæ de suprema vnione dici so-
lent,] per donum supernaturali intellectus complectitur, dicen-
dum est. de operationibus pro Hic, & Nunc fusiùs infra b tracta-
turi; ad praxin commodiori loco Hic ergò dicitur

- I. *Quid sit mystica vnio propriè.*
- II. *Ex quibus signis possit scire mysticus, se hunc statum vnionis assecutum.*
- III. *Spiritus soleitas, dum status Vnionis durat, non potest nec debet vitari, ex toto.*
- IV. *Potest tamen & debet caueri modus Vnionis, qui est per generalem ad Deum conuersionem, & inhesionem.*
- V. *Fruitio Vnionis huius consistit in continua successione verbi mystici.*
- VI. *Status vnionis paulatim à centrali, vsque ad spiritus proprii & spiritus diuini fruitionem ascendit.*

T t 3

AR-

a Ioan. à Cruc. de obscur. noct. in prolog. b Decis. 4. s. & 6.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Mystica Vnio propriè.

Hic status tantò obscurioribus, & à longè petitis verbis declaratur, quantò eius nobilitas, altiorem dictionem requirere videtur, quæ dum fiunt, accidit frequenter plurima de vnione præscribi, quæ propriè ad statum Transformationis modi descendens, vel ascendens; vel etiam ad eminentiorem pertinent. cuius quidem confusio- nis ratio potissimū inde sumitur, quod [vnio a qualibet etiam profana] importet coniunctionem aliquorum in aliquo vno] sicut etiam quod [qualibet b gratia vniat cor immediatè vltimo fini.] & hic modus cum generalis sit, non satis à præcedentibus, & subsequen- tibus discrepat, multòque minus proprias rationes, differentiasque, pro- ut status vnionis primus, & infimus est in modo operandi supernaturaliter, constituit.

Propriè ergo loquendo, vnio mystica est vitalis fruitio diuina, absque vsu phantasmatum, & discursibus rationis, per donum habituale Spiritus sancti, scilicet intellectus, maximè verò sapi- entia, excitata. & quidem fruitio, omni [amori, qui est c vnitiua virtus] con- uenit; differentiam autem constituit quod sit de Deo, & modi supernatura- lis, qui est sine vsu phantasmatum, & discursu, cum perseverantia doni habi-

tualis: [illud enim solum d habere di- cimur, quo liberè possumus vti vel frui.] in præcedentibus verò incipientium, & proficientium statibus hoc ipsum non fit; nisi aut per modum actus transeuntis, aut intuitus alicuius perse- uerantis quidem; sed cum vsu phan- tasmatum, & inferioris modi, discursus scilicet, vel indagantis quod deest, vel tendentis in id, quod à se distinctum pro obiecto intuetur; non autem per modum immanentis & inhabitantis Spiritus sancti, & ad mensuram doni supernaturalis scientiæ, potentiam in- tellectus sanantis.

Iam verò studiosè obseruandum ve- nit, omnia, quæ de statu Vnionis scri- pta leguntur, ad euitandam confusio- nem, (quæ modò supremis, modò infi- mis, mysticæ vnionis documentis, pra- ctici animum inuoluit) in duas classes generatim distingui: primò scilicet in illam, quæ continet mediocria; & hæc tractari in hoc statu vnionis, in quo [a- matum e est quodammodo in amante, & etiam amans per affectum trahitur ad vnionem amati. iuxta illud: f Qui ma- net in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.] secundò in illam, quæ continet summa, ac suprema; & illa deduci in statu g Transformationis, in quo diui- nus amor, vitali persistentia efficitur forma amantis, in omnibus potentijs, & toto composito; ita vt eius velle, & posse circa amoris exercitium vnum sint. [talis est enim amor h ex se, vt

a 5. Thom 3. p. q. 2. art. 9. b 1. 2. q. 112 a. 4. c. c l 1. cont. Gent. c. 91. ex Dion. de diu. nom. c. 4. d 1. p. q. 43 a. 3. c. e 1. 2. q. 66. a. 6. c. f 1. Ioan. 4. g vt inf. Dec. 7. latius. h Philos. Polit. c. 6.

virtute illius, si fieri posset, ex duobus amantibus fieret vnus.] & ideo etiam [alterum amoris a effectu ponit Dionysius ex amatorijs hymnis S. Hierothei, vim vnientem, & commiscentem. nimirum quia amantem cum amato vnit, & commiscet in vnum, vt ex vtroque vnum sint. idque non solum affectu, sed etiam re ipsa, quantum fas est, amor enim impellit amantem, vt re ipsa adsit amato, ei que quantum fieri potest, arctissimè se coniungat.] id quod in statu vnionis, pro vt hic de illo loquimur, fieri non potest. hic enim in spiritu recenter baptizatus, & renatus mysticus, nondum per donum sapientiæ; sed per donum intellectus ab habita pressura se liberat, in spiritus extensiones erigitur, ac tandem ad summa eleuatur: ita tamen vt actus secundus, pro vt est vitalis inferior appetitus, & benè in Deo afficientia, circa superiora pendeat in fieri, & conseruari ab actu superioris partis, & superiore cessante, cesset inferior, quod toto hoc statu vnionis frequenter fieri, ita, vt vel ea sola de causa, soleitas in vi appetitiua, & toto composito subsequatur, dictum est infra. *b* & quia de statu vnionis magna solet esse opinio, in initio verò eiusdem, parcè admodum diuini gustus propinentur; vt vel ideò merito quis dubitet, num, quando in statu vnionis versetur, hinc moralem quandam certitudinem consequenter subijcimus.

Ex quibus signis possit scire Mysticus, se hunc statum Vnionis assecutum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Spiritualis homo recenti adhuc priuationum odore perfusus, tanquam alter *c* Iob, non credit quod Dominus inuocantis vocem exaudierit; & quod ad priores spiritus amarissimas soleitates, reducendus non sit. idque ex eò vel maximè, quod licet à solitis pressurarum vinculis absolutum se habeat; in operationibus, & fruitionibus tamen, vt plurimum adhuc nudum se conspiciat. vt itaque perspicuum fiat, quam ordinata successione, interior animæ depuratio, & ad diuina coniunctio, procedat, signa quædam vnionis adeptæ, pro subdubitantis certitudine, apponimus.

Et ne quis citiùs, quàm oportet vnionis gratiam sibi persuadeat; obseruandum erit prærequiri plures, & status, & habendi modos. [cum enim aliquis in spiritualibus exercitatus fuerit, *d* & ad æterna directus per rectam rationem, vel intentionem; cum fuerit in itineribus æternitatis expeditus per frequentem meditationem, cum fuerit directus ad æterna per limpidam contemplationem, cum fuerit ad æterna inclinatus per feruidam dilectionem, cum fuerit de internis instructus per multiplicem reuelationem, cum fuerit æterna expertus per dulcem prægustationem; quid modò restat nisi æterna ingrediatur per Deiformem, & meritoriam operationem. quid enim prædicta omnia valerent, si ea Deiformis operatio non con-

sum-

a S. Thom. 1. q. 28. a. 1. c. *b* Hic art. 3. *c* Iob cap. 9. *d* S. Bonau. 7. itin. ater. d. 1.

summaret?] & fideliter practicatis ijs, aut similibus, quæ tota prima parte à nobis tradita sunt, finita etiam priuatione, seu rigido amoris examine; Dominus tandem [sub horula *a* vna, repente cum fulgore quodam non illaberetur?]

Hic iam ergò ad certitudinem obtinendam *b* [in admirando lumine, & in eodem corusci luminis fulgore in interiorius fundum irradiantis, latens eis veritas manifestatur, simulque palam hic eis innotescit, quo, & qua ratione ipsos Dominus per præfatas vias tenebrosas duxerit, & nunc tandem perduxerit ad lucem, in qua idem ipse benignissimus Deus, pro omni ipsorum diutina expectatione, multaque afflictione abundè nunc eos consolatur, refouet, recreatque.] [tum etiam nouo quodam anima illustratur lumine, *c* in quo omnem perspicuè agnoscit infirmitatem, & impotentiam suam, videtque liquido sese solum malitiæ suæ causam esse, nec potest eam salua veritate, vel mundo, vel carni, vel diabolo imputare. quin potius intelligit Deum, hos sibi tentatores, & exercitatores, ex amore præcipuo adhibuisse, vt fortiter vincendo, abundantiorum Deo honorem, sibi verò coronam præcellentiorum mereretur. Cognoscit etiam & videt Deum solum sua benignitate seruare, efficereque, vt non delectent se amplius vitia sua: peccandi que occasiones sibi auferre, ne vitijs succumbat.] [&

intus alloquens, surge, inquit, nunquam deinceps iacebis; sed ab omni captiuitate absoluta, post hæc liber eris, ambulabisque fidenter, ac liberè portans grabatum tuum.]

Ad eiusmodi solatium Apostolus respiciens dicebat, ipse spiritus e testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, quod si filij, & hæredes. ipse Spiritus sanctus utiq; dat testimonium tanquam filijs, quando viuaci præsentia, omnis scrupuli ambiguitatem, ab animo mystici tollit; quo ita firmiter, & certò teneat, se amplius nunquam similibus pressuris, soleitatibus, carentijsq; diuinis constringendum; at verò, hæredem constituit, per vsum doni, & habitus supernaturalis, in ordine ad communionem, & consortium diuinæ naturæ, non in actibus transeuntibus; sed permanentibus, & ad operandum facillimis.

Et ideo [gratias tibi Domine, inquit Anselmus, gratias f tibi, quia, quod prius credidi te donante, iam sic intelligo te illuminante; vt si te esse nolim credere, non possum non intelligere.] Quæ quidem certitudo tanta est; vt licet quis [certò *g* scire non possit se habere gratiam, nisi sibi reueletur.] attamen sufficere videatur, ad moralem illam certitudinem, qua in præsentia vitæ æternæ solatia dantur. si enim [spes certitudinaliter *h* tendit in suum finem, quasi participans certitudinem à fide, quæ est in vi cognoscitiua:] quanto

a Taulerus. *b* Taul. Dom. 15 post Trin. serm. 1. *c* serm. 1. in fest. S. Stephi. *d* Dom. 2. post iei. Epiphani. *e* Rom. 8. *f* Ansel. c. 4. pro sol. in fin. *g* S. Thom. 1, 2. q. 112. a. 5. c. *h* 2. 2. q. 18. a. 4. 6. magis

magis etiam charitas tendit in suum finem, participans certitudinem, ex fruitione præsentis consortij diuinæ naturæ, quæ est in voluntate radicata.

Nec quemquam in mysticis diu versatum terreat, aut pudeat, quod in statu vnionis quandoque remissiores fruitions, & spirituales soleitates patitur. licet enim filij Dei a sinu; sed nondum apparuit quid erimus. istiusmodi insuper signa non ita religiosè, & sanctè spectanda veniunt; ac si omnia, & singula, vno, eodemque tempore in quilibet mystico sentiri debeant: sufficit enim eorum quædam pro modulo cuiusque, & ea ratione, qua Deo Optimo Maximo placuerit, successiuè in semetipso experiri. cum autem statui vnionis videatur repugnare, à fruitionis continuatione frequenter dilabi; hinc rationes nonnullæ ad pacificam praxin continuandâ, consequenter subijcimus,

Spiritus soleitas, dum status Vnionis durat, non potest, nec debet vitari ex toto.

ARTICVLVS TERTIVS.

CVM Vnio mystica propriè sit præambulum, & primus ascensus ad summitatem illam diuinam, in qua anima plenitudinem adæquatæ fruitionis, (seu supra affirmationem, & negationem consequitur) quam alioquin aduertebat sibi deesse: sciendum est, quod mysticus toto tempore ascensus vniti-

ui, tanquam luna ex illa parte, qua soli obijcitur, lumen suscipiat; idque ordinata b accretione, & decrectione quatuor illarum Diuinitatis dimensionem, quibus motus vnus circularis perficitur. manifestum est autem, huiusmodi motum non esse, tam perfectum in initio, vt in medio, & in medio vti in suo optimo. Quin imò sicut cum luna omnino decreuit aliquo temporis spatio lumen non recipit; ita etiam cum motus talis circularis, ex sublimitate ad profundum declinauerit, in eoque disparuerit, priusquam in noua latitudine diuina, lumen, & vitam in inferiori homine, & fruitiua parte suscipiat; quasi futuram, proximèque sibi immanentem illam intuetur: qui tamen intuitus pro instanti nunc, minimè sufficit. [ad c beatitudinem enim non solum requiritur visio, quæ perfecta est vltimi, & intelligibilis finis cognitio; sed etiam comprehensio, quæ finis præsentiam respicit, & fruitionem, quæ amantis in amato quietationem importat.] vnde tædia spiritus, quæ non tam sunt molestæ diuinorum carentiæ, quam incrementi spiritualis modicitas, prout in initio deficit à perfectione medij, & in medio prout nondum completur in summo; toto hoc statu vnionis non possunt, nec debent ex integro caueri. [etsi enim gaudium d quod ex diuina bonitate in nobis procedit, nullam per se admixtam tristitiam habeat; per accidens tamen contingit, spirituali gaudio tristitiam admisceri: prout scilicet aliquis

Vu tristia-

a Ioan. 1. c. 3. b infra Decis. 4. c S. Thom. 1. 2. q. 4. a. 3. c. d 2. 2. q. 28. a. 3. c.

tristatur de eo, quod repugnat participationi diuini boni.] quæ quidem repugnantia hoc loco vt plurimum contingit. Cum enim status vnionis sit prius initium modi supernaturalis, non ilicò; sed successiuè tanquam recenter à maximis doloribus, & morbis liberatus, vires, & maiorem in charitate radicationem mysticus consequitur; ita vt quadam necessitate ex sua felicitate decidat, ad seipsum prout in semetipso, ab actuali Dei vnione separatus existit, relabatur; suiipsius soleitatem reincident. vel vt clarius dicatur, quod subinde ita ad se reuertatur nudus, & à diuina vnione separatus; ac si diuinum amorem in se nunquam expertus fuisset, quousque de nouo per actuale exercitium amoris, vnum fiat, à quo nunquam abesse cuperet.

Et secundùm hæc [in suauitate contemplationis intimæ, a diu mens non figitur, quia ad semetipsam immensitate lucis reuerberata reuocatur. cumque internam dulcedinem degustat, amore æstuat, ire super semetipsam nititur; sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabatur, & magna virtute proficiens, videt, quia videre non potest hoc quod ardentem diligit, nec tam ardentem diligeret, nisi aliquatenus videret. non ergò stat, sed transit spiritus, quia supernam lucem nobis nostra contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmitatibus abscondit.]

Nullum tamen dubium admittendum est de statu vnionis adepti; licet

frequenter vnionis fruitio, per relapsum ad soleitatem proprii spiritus intersecetur. est enim talis vicissitudo, inductio quædam ad subtiliorem spiritus gustum, per contrariorum probam, sicut gustans dulce, si amarum dein comedat, ilicò ex gustu contrario dulcedinis suauitas magis adnotari videtur. quinimò cum in statu vnionis per relapsum ad soleitatem proprii spiritus, continuo intimius, & subtilius diuini spiritus presentia, & mutua coexistentia amoris animaduertatur; magisque, vt ita dicam, spiritualizetur: sicut non potest, ita nec debet, ex integro cauere relapsus, ad soleitatem suiipsius, præsertim quod sicut in beatitudine b principalis bonum est ipsa visio, quam delectatio ipsam concomitans.] ita quoque ab habita pressura spiritualis illa in Domino libertas, (quæ etiam per donum intellectus supernaturalis, quotidie ad amplitudines, & spatia æternitatis ascendit) longè præstet, illi amori, qui in inferioribus, bene-afficere solet.

Et quia [hoc c demum est malum, & mentibus, & animis, & corporibus, scilicet imbecillitas, propria, accommodataque bona adipiscendi; & ab eis prolapsis;] duas ob causas singulariter, eiusmodi soleitas, non potest, nec debet cauere; Primò quidem, quia hoc loco vix aliunde tanta soleitas provenire solet, quam ex imbecillitate, propria, accommodataque bona adipiscendi, & generali, aut confuso modo interius operandi. ex hoc enim non tantum soleitas, id est, nuda caren-

a S. Gregor. l. 5. moral. c. 23. b S. Thom. 1. 2. q. 4. a. 2. c Dion. de diuin. nom. c. 4.

cauentia actualis vnionis, & vitalis in Deo afficientiæ; sed etiam obscura, & tædiosa mentis crassities, positiuè subsequitur, quam ipse relapsus ad propriam nuditatem directè corrigit, dum animū semisopitum à tali quali generali frui-tione, aut potius ab obscuri phantasma-tis inhæsiōe expergeficit. Secundò nō potest nec debet caueri eiusmodi spiri-tus soleitas; tum quia vita humana non in vna continua eademquē; sed disse-cta, & varia actione, transigitur: tum etiam quia non in instanti; sed paulatim fit maior radicatio in charitate; sicut fer-rum igni iniectum candere incipit, in vna quidem parte naturam ignis parti-cipans, in contigua autem summè ca-lens, nondum tamen candens.

Iam verò præter hæc singulariter ob-seruandum venit, quod scilicet. toties quo-ties ab actuali vnione fit prolapsus, per interruptionem continget quidem se-paratio, & soleitas; non tamen semper positiua tristitia, aut tædium sensuale; sed aliquando nuditas tantum, seu ca-rentia amicabilis vnionis. vnde etiam non cessat progressus ipsius status vnio-nis; quia moderata erectione per cen-tralem, & mediam, ad summam vsque spiritus diuini sphæram, mentali situ, vel vbi perficitur. cum autem continua sit inclinatio ad fundum, seu principium dilectionis (licet ex originali peccato vitiatum) & ante debitam actionem, mysticus per quietem incongruè diuinis frui gestiat, hinc consequenter dicimus,

Quod possit & debeat caueri modus V-nionis, qui est per generalem ad Deum conuersionem, & inhæsiōem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Contemplantibus, vel adspiranti-bus, generalem a modum auersio-nis ab ijs quæ quasi nihil sunt, & conuer-sionis ad ea quæ Dei sunt, relinquamus; hisce enim modis, illi, quibus velle ad-iacer, at perficere non inueniunt, tan-quam in vmbraculo cucumerarij, sese ab ardenti molestia appetituum inor-dinatorum tutantur; quo ita aliquid Dei, quantumcunque illud crudum, & indigestum fuerit, venentur. vt insuper, sicut lupinæ fami, quæ pellem, carnem cum cute, pilis, & ossibus deuorat; ita ipsis quoquo modo, quidquid tandem aliquid diuinæ olentiæ habuerit, dulce, & saporosum videatur.

Verùm hoc loco & statu, in quo my-sticus in vnitate vnum est, longè aliter procedendum erit; & mundum ab im-mundo, pretiosum à vili, spirituale ab animali, operationes conformes ad nunc præsens, à generali tali quali inhæsiōe, separari debent. *b* & hoc ideo, tum quod [cognitio *c* quæ de Deo ha-betur communiter, sit imperfectissima;] tum quod [à conceptione *d* vni-uersali, non fiat motus, & actio;] tum quod quies, quæ fit per modum obli-uisiōis, & inhæsiōis, motu, & actione

V u 2

pri-

a De quibus prima part. decis. 6. 7. & 8. *b* Hic art. 5. *c* S. Thom. l. 3. cont. Gent. c. 38. d l. 2. cont. Gent. c. 4.

priuant; extra boni communionem constituat. Vnde etiam hisce attentè consideratis, manifestè apparet, fruitionem, quæ per inhæsiōem, & ad Deum conuersionem assumitur; esse otio, tædio, & obscuritati internæ, ac distractionum facilitati, expositam: prout indies propria experientia gustare poterit, qui in incertum currit, quasi aërem verberans; quin imò, ea vel maxime de causa, vsque ad summum spiritus diuini, in statu vnionis sit relapsus ad soleitatem propriam; vt eius viuaci carentia, quasi punctiōibus à torpore inhæsiōis, & generalis fruitionis euigilet.

Est ergò ipsa auersio, ab omnibus quæ Deus non sunt, quàm maxime necessaria; sicut etiam conuersio, seu recordatio ad eum, qui est super omnia: sed vt in conuersione ad Deum post primam bene-afficientiam ilicò quies, inhæsiō, seu fruitio assumatur, hoc omninò cauendum est. cum enim eiusmodi conuersio recenter subsequatur ipsam rerum materialium grossitiem per auersionem reiectam; concomitantem adhuc habet olentem materialium qualitatem aut imagines; vt vel ideò minus de Deo participant. [Bonum enim, in quibus perfectè inest, ea perfectè facit, & simplicia, atque integra bona. quæ verò minus eò participant, ea & minus perfectè sunt bona, & permixta propter boni priuationem.

At si conuersio, seu actualis Dei memoria, proueniret ex specie infusa, aut

ex præuia motione voluntatis, aut quocunque actu à Deo excitato; tum fruitionis tanta etiam foret viuacitas, & actio; vt nihil inutilis, & tædiosæ: sed operantis, & melius appetentis quietis, plurimum contineret. quod quamdiu factum non est, à nobis tanquam cooperatoribus Dei, suppleri debet, & ipsa conuersio, in eaque præfens bene-affici, non per actum quietis concludi, sed per extensiones, vel supra, vel infra, vel sinistrorsum, vel dextrorsum, vel motu recto, vel obliquo, aut circulari, in spiritali alleuiatione suspendi, & subtilizari; moderatè tamen, ne dum falsum otium deuitare studet, nimia operatione, aut caput debilitet, aut etiam intra se regnum Dei existens, prætereat. & ideò hæc tranquilla cooperatione præstanda erunt; quousque si Hic, & Nunc Deo placuerit, & hæc, & seipsam mens excedat, superetque.

Generalis itaq; hic modus fruitionis per conuersionem, & inhæsiōem debet, & potest caueri. debet quidem, eò quod naturalis actiuitas proprii spiritus generali conceptu non satis allecta, ad alia quæuis placencia soleat vagari. ideò per operationes expressas, seu verba interna locutionesvè, seipsum excitare, & in actione sustentare ac alere debet: quousque in progressu, amore inimis actuato, fruitionem liceat absq; distractione phantasmatum vsu, seu quoquo tandem discursu, imperturbatè, continuare. vt latius dictū est infra. *b* potest verò fruitio, quæ fit per firmam inhæsiōem,

a Dion. de diu. nom. c. 4. *b* Hic art. 5. & decis. 6.

tionem ; caeteri : quia duntaxat iam communicati consortij diuinæ naturæ [motus, seu operatio est a causa delectationis, quo ad omnia quæ in ipsa delectatione requiruntur, idque ob transmutationem boni delectabilis, & delectantis, quod in nobis fit successione partium, non autem totius.] & hinc iure merito talis motus est fons ipse, ex quo species mysticæ fabricantur, ad Nunc præsens operationis at peraccommo- dæ ; pro vt hic consequenter latius dicemus.

Fruitio unionis huius consistit in continua successione verbi mystici.

ARTICVLVS QVINTVS.

Licet [verbum Dei nihil habeat b formabile, quod esse etiam posset informe ;] longè tamen alia est ratio, in verbo nostro, quod frequenter est informe ; habens conceptum confusum, vel cogitationem volubilem, & incertam, ac veritatem inquirentem. Vndè [cogitatio nostra c perueniens ad id quod scimus (id est attingens obiectum) atque indè formata, verbum nostrum verum est : vel vt clarius, [tunc verbum d fit verum, quando illud, quod diximus volubili cogitatione iactari ad id quod scimus peruenerit, atque indè formatur, eius omnimodam similitudinem capiens.]

Facta ergò auersione, quæ dissimilitudinem aufert, & conuersione, quæ

pro obiecto ad actum fruitionis eliciendum, bonum repræsentat ; loco inhæSIONIS, & quietis ad fruendum, proferendum est verbum mentis, quod est conceptus interior, non auersionis, aut conuersionis ; sed illius ex conuersione adeptæ vitalis bene-afficientiæ : quæ per similitudinem sui in mente producta, subtiliùs, & ad perfectionem substantiæ spiritualis magis proportionatè, existit ; & per continuam operationem in diuina, vel latitudine, vel longitudine, vel sublimitate, vel profundo, vel in harum aliqua intimiùs a-ctuat, & bene-afficientiam, quæ vera fruitio est, eiusmodi operatione, alit, & conseruat. [operatio e enim est actio, & bonum substantiæ operantis.] eius autem [malum est, f quod absque modo, & proportionem se habet ad confluxum, scilicet actionis.] Mysticus ergò suo muneri satisfacit, quando pro re nata, & vt in præsentiarum fieri poterit, per donum intellectus (licet inadæquate, id est plus intelligendo quàm diligendo) procedit. & hoc vt magis euidentius fiat, considerandum est. quod [intellectus g fit potentia apprehensiuæ, voluntas verò appetitiua.] ita vt intellectus suo muneri satisfaciat cognoscendo, licet virtus appetitiua simul non excitetur, aut moueatur. quod sæpissimè fit. quando quidè potentiæ intellectus, & voluntatis sint realiter distinctæ. quæ verò [intellectus non moueat nisi h mediante appetitu.] [amoris i autem pas-

V u 3

sio

a 1.2.q.32.A.2.c. b S. Aug. l.15. de Trin. c.16. c Ibid. d Ibid. c.15. e S. Thom. l.2. Cont. Gent. c.91. f 1.p.q.48 A.5.c. g S. Thom. 1.p.q.82.A.4 ad 1. h S. Th. opusc. 35. i 2.2.q.27.A.2.c.

ſio hoc habeat , quod non ſubito exoritur , ſed per aliquam aſſiduam inſpectionem rei amata. hinc tamdiu intellectus agit, & laborat donec appetitum moueat, ac verbum conceptum, ſeu operationem amoris diuini excitare poſſit. non enim niſi [ex a bono bonitatis imago,] fabricari valet. cum autem myſticus in ſtatu vnionis non ex dono ſapientiae, ſed intellectus duntaxat, (ordinarie ſaltem procedat) amplius quoque circa bonum apprehendendum, & cognoscendum, quam vitaliter amandum laborat: quoadusque tandem in ſtatu transformationis, in voluntate adornetur dono ſapientiae, quod tanquam [habitus per b eſſentiam ſuam ſit principium talis actus,] ſcilicet eliciendi ſpeciem vitalem coexiſtentiſ conſortij diuinæ naturæ.

Cæterum cum myſticus nondum conſortio diuinæ naturæ, ex integro vnitus ſit, & facilius in praxi agat, quod agendum eſt; quam vt notitia perfecta, ſeu explicita ſcientia, ſecurè, & ordinatè per formationem verborum myſticorum fruitionem ſuam continuet: de operationibus inſtantaneis, & ordinata ſucceſſione, per locutionem internam non accuratius hoc loco, ſed c infra dicendum erit. quam ordinatè verò ſtatu vnionis perficiatur, ex ſequenti articulo conſtabit,

*ſtatu vnionis paulatim à centrali, uſq;
ad ſpiritus proprii, & ſpiritus diuini
fruitionem aſcendit.*

ARTICVLVS SEXTVS.

EO ordine, & iure, quo vnus ſtatu eſt diſpoſitio, d præambulum, & inductio ſubſequentis, in hoc ſtatu vnionis, ab inferioribus per media, ad ſuprema uſque conſcenditur; & pro primo aſcenſu modi ſupernaturalis, vnum cum Deo, non vt prius à ſe diſtincto, efficitur. [cum autem prius ſit e aſcendere, quam deſcendere,] per ſtatum priuationis ſufficienter in fundo depuratus, & diſpoſitus, ad ſpirituales amplitudines, extenſiones, & ſpatia, ex nunc erigitur myſticus, poſtea in ſtatu transformationis deſcenſurus. Vndè hoc loco circa fruitionem centram nihil ſingulare agendum occurrit, cum ſtatu priuationis diutina ſua conſtrictione fundum, ſeu centram amoroſam ad Deum inclinationem, ſatis ſuperque ad purum collimauerit. hinc etiam priuatione rigoroſa finita, non ad fundum, ſed ad ſpiritus libertatem, & actiuitatem tranſitur, ita vt ad diuina conſpicenda, intellectus paulatim facilior, & lucidior reddatur. tum enim [per intelligentiam f ſinus mentis in immenſum expanditur, & contemplantis animi acies acuitur, vt capax ſit ad multa comprehendenda, & perſpicax ad ſublimia penetranda.]

In initio itaque ſtatu vnionis qualiſ furtiuè, & ſollicita obſeruatione, cordis aure venas ſuſurri Domini Dei ſuſcipit; quouſque ad habita preſſura in libertatem

a S. Dion. de Diu. nom. c. 4. b S. Thom. q. 10. de ment. a. 9. c infra Dec. 6. d ſup Dec. l. a. 11.
e S. Bonau. Itin. ment. c. 1. f Idem 3. Itin. atern. d. 3.

tetn spiritus ingressus, vt in illa tanquam in medio de nouo reales Dei contactus experiatur; ac pro summo seipsum tandem excedens, in spiritu diuino habitaculum ponat, donec aspiret dies, & inclinentur vmbra vicissitudinis, ex diuino in spiritum proprium relapsu: ac in statu Transformationis Spiritu sancto perfusus, deinceps in vitali consortio diuinæ naturæ, omnium fruitionum

summum, medium, & infimum habeat, absque relapsu ad soleitatem propriam, & à Dei fruitione separationem. de spiritali autem profectu, duratione, & transitu à statu vnionis, ad statum Transformationis, accommodatori loco dictum est supra. *b* iam verò consequenter de operationibus supernaturalis modi dicendum erit.

a Cant. 4. b paraph. 8.

DE OPERATIONIBVS SVPER- NATVRALIBVS

PROVT IN INFIMO SVI IN SPHÆ-
RAS, SEV DIMENSIONES QVASDAM DIVINAS
resoluuntur ad ordinatam formationem operationis,
seu verbi mystici.

DECISIO QUARTA

Prosequutionem statuum modi operandi supernaturaliter, vt ad praxin hic peraccommodo loco de operationibus ordinatè dicamus, tantisper se ponere oportebit; & hoc priusquam fiat, singulariter ad praxin obseruandum venit, longè aliud esse, de statu aliquo mystico loqui, illumq; pro vt in actus exercitio contingit explicare: & longè aliud esse, de operationibus, quæ conformiter ad statum, (in quo quisq; fuerit) efformandæ sunt, tractare. status enim est tantum propria dispositio generali quodam modo ad annos perseverans, seu regio quædam mentalis, in qua, & circa quam mysticus, spiritus actiones multo tempore vniformiter vt plurimum, (licet continuò perfectius) instituit: operatio autem est singularis, & quasi momentanea actio, quæ idcirco, quod tam citò perficiatur, nec diu durare possit, aliter, atque aliter pro Hic, & Nunc formari debet:

debet: tamq̄; subtiliter fit, vt ipsemet practicus, (licet benè litteratus) sæpè illam, vel non animaduertat, vel pro voto benè ordinare non valeat. pari modo singulariter ad praxin obseruandum venit, non pro omnibus statibus operationes in particulari tractatu, positas esse; nam omnes status primæ partis, & status priuationis in secunda parte, operationes suas conformes habent positas in ipsis subdiuisionibus, & deductionibus statuum, pro vt ad longum consequenter explicati sunt: at status vnionis, & Transformationis vtriusq̄; modi, cum modo supernaturali procedant, in illisque spiritus mystici dispositus, capax, & appetens sit; vt in absconditis Dei consilietur, & minutissima quæq̄;, ac etiam profunda Dei scrutetur, non in communi; sed in particulari, & ad longum exponere oportuit singulares actiones, pro vt perfectissimè, & ordinatissimè, ad actualem diuinam fruitionem incipiendam, continuandam & vsque ad summa quæq̄; perficiendam, necessaria sunt. id quod hucusq̄;, non tam ex volentis, & currentis desiderij negligentia; quam ex miserentis, & gratiam mysticam nondum tam affluenter dantis defectu, fieri non potuit. hoc enim loco, seu cum mysticus sic potest, sicut vult; vt candidè loquamur, (saltem secundum perfectam viuendi rationem) prius videtur mystica vita incipere.

Vt itaq̄; de operationibus particularibus ordinato progressu dicamus, sciendum est; quod cum modi formationis ipsius verbi mystici, seu operationis locutionisue internæ, ad mentis regiones, seu ad sphæras, & dimensiones spiritus, eiusq̄; diffusas actiuitates; sicut species ad genus, & actus perfectus ad imperfectum, quodammodo referri possint; iuxta ordinarium à magis notis, ad minus nota, procedendi modum, deinceps considerandum esse, qualiter ea quæ summo, & indicibili modo circa verba mystica contingunt; in imaginatione, & infimo spiritus, tanquam vestigia, particulae, & diuinæ sapientiæ interpretes, in dimensiones quasdam resultent. Et licet, de his ante statum vnionis loqui non inutile fuisset: attamen cum nos ordinem practicum super omnia seruare statuerimus, eo singula collocamus, vbi commodius in exercitio actus, & obseruari, & intelligi solent; contenti suis locis lectorem ad hæc, & similia remississe. Hic itaque dicitur.

l. Quod

- I. Quod effectus doni sapientie, sint vigiliæ mysticæ, & depurati fundi infatigabiles diuine nature communiones.
- II. In statu Transformationis comprimis profunt industria, & articulatae notitiæ, secundum exactum ordinem ad particulares operationes.
- III. Quid sit dimensio mysticæ.
- IV. Sine dimensionis aliqua similitudine, nec verbo, nec scripto quidquam tractari posse de mysticis.
- V. Quod loco phantasiæ apud mysticum sint dimensiones Diuinitatis, scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi.
- VI. Quamdiu sit opus conuersione ad phantasmata.
- VII. De mystico motu circulari recto, & obliquo.
- VIII. Eiusmodi motuum multiplicatione, digeri vsus habitus, ad sequentem perfectius in charitate radicandum, per statum Transformationis, modi ascendenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod effectus doni sapientie sint vigiliæ mysticæ, & depurati fundi infatigabiles diuine nature communionis.

NVnc ergò qui a pro consuetudine exercitatos habent sensus, & confortium diuine nature, ceu effectum doni sapientie, vitali afficientia, & perseverantia obtinuerunt; ita vt [Deum b per memoriam audiant, per intelligentiam videant, per affectum amplexentur, & attingant:] hi quoque [in memoria effigiem c quandam æternitatis habent;] [semper d enim, perpetuoque, ac Deiformiter ad Deum, ex quo profluxerunt, aspirant; & semper absque cessatione Deum contemplantur, diligunt, & fruuntur.] sunt enim ipsis interiora ad facilem, & promptam sequelam Spiritus Sancti, vsque ad eò gratia sanata, vt ad nutum adstant, ceu

[prima e principia, quæ sunt naturaliter nota, & absque discursu rationis statim intelliguntur, seu cognoscuntur.]

Apud eiusmodi ergò admodum iucundè sunt illæ vigiliæ mysticæ, ac depurati fundi infatigabiles diuine nature communionis; per quas spirituales illorum oculi, ad instar aquilæ interiores dispositiones, operationes, immisiones, incrementi & decrementi vicissitudines, & quidquid eiusmodi est, acutissimè discernunt: omni tempore comprimis apti, vt in absconditis Dei consiliari possint, reali, & secura spiritualis hominis perspicacitate, diiudicantes omnia; an scilicet sursum, vel deorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum, sit eundem, an ad ea quæ anteriora sunt se extendere, an verò eorum, quæ retro sunt, obliuisci debeant. quo ita [bonum f aut malum ex seipsis Dei imitatione iudicantes diuine sint

X x

suauis-

a Hebr. 5. b Richard. l. 4. Cont. c. 15. c S. Bonau. itin. ment. c. 3. d Taul. e S. Thom. opusc. 13. f S. Dion. de Eccl. Hier. c. 4.

suauissimi, iucundissimique odoris, imagines]

Nec verò tantum [vigilijs mysticis Deus a admirabili nouitate animam mouet] quandò à somno liber est; sed etiam subindè cum quiete, & somno sensus ligatos habet. nam [ex parte b illa qua anima à supernis accipit, per somnium non ligatur; imò magis libera redditur, quanto fit à corporalibus curis magis absoluta: & idè ex influenza superni luminis, aliqua de futuris percipere potest dormiens, quæ vigilans scire non potest. ex parte autem illa, qua à corpore recipit, oportet quod ligetur quantum ad vltimum iudicium, & completum, ligatis sensibus, à quibus eius cognitio initium sumit; quamuis eius etiam imaginatio non ligetur, quæ in mente species rerum ei subministrat.] [in cognitione c enim duo sunt consideranda: scilicet receptio, & iudicium de receptis. quantum ad iudicium, potior est vigilantis cognitio, quia est liberum, iudicium dormientis verò ligatum sed quantum ad receptionem, cognitio dormientis est potior; quia quiescentibus sensibus interiores impressiones magis recipiuntur, siue sint ex substantijs separatis, siue ex corporibus cœlestibus. & sic potest intelligi illud Num. 24. de Balaam, qui cadit scilicet dormiendo, & sic aperiuntur oculi eius.] licet ergò quiescat corpus, vigilat tamen animus [qui frequenter d in somnis aut lecta repetit, aut somno

interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat.] [homines ergò e dormiètes, & ecclatim patientes, sublimiori quodam modo intelligunt, quia sunt inter tempus, & æternitatem.] [in somno enim ligatis sensibus exterioribus, interiores vires qua, si quietæ ab exteriorum sensuum tumultibus, magis percipere possunt interiores impressiones factas in intellectu, & imaginatione ex illustratione diuina, vel Angelica.] sic etiam mysticus meretur in somno ex libero arbitrio, aequaliter saltem; cum in somnis possit esse liberum arbitrium licet [absque g completo motu;] in quantum ergò inchoatus erit motus, in tantum merebitur; vt etiam b infra dictum est. cum itaque donum sapientiæ modi supernaturaliter operandi in statu transformationis infatigabili distributione præstantis mystici animum illustret; & quasi ignitos imbres eloquij diuini emittat, consequenter dicendum erit, quanta industria opus sit, vt in operationibus quodammodò infinitis, ordinatè procedatur;

In statu Transformationis comprimis præsunt industria, & articulata notitia, secundum exactum ordinem ad particulares operationes.

ARTICVLVS SECVDVS.

Sacrorum [i sapiens disciplina, & scientia, primum quidem eos diuino-

a Ioan. à Cruc. Flam. Amor. Cant. 4. v. 2. b S. Thom. 4. sent. d. 9 q. 1. a. 4. ad 2. c S. Thom. de Veritat. q. 12. a. 3. ad 1. & 2. d S. Damasc. l. 4. c. 15. e S. Thom. cont. Gent. l. 2. c. 81. f Et in Job ad 1. g 1. 2. q. 113. a. 3. ad 2. h Dec. 6. a. 16. i S. Dion. de Eccl. Hier. c. 3.

rum scriptorum quæ formandi, vitæq; dandi vim habet, cibo, qui instituendo & introducendo valet, fouet: cum autem eorum naturam ad diuinum ortum absoluit, tum denique vtiliter eis ordine concedit aditum, ad ea quæ illustrant, & perficiunt.] & idè quæuis nullus sit status, in quo non habeantur aliqui modi, & industriæ humanæ, aut agendi, aut patiendi, aut quomodolibet sese habendi; nunquam tamen hoc ipsum magis ordinatè, perfectiorique realitate contingit, quam in hisce vigilijs mysticis, in quibus spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. nam in præcedentibus statibus, a frustra existimabat vt cognosceret hæc, sed labor erat ante se: donec hoc loco intret b in sanctuarium Dei, & intelligat in nouissimis eorum. tum enim in absconditis suis consiliabitur, spiritu sapientiæ repletus: vt hoc [dono c cognoscat altissimam causam per quam possit iudicare de omnibus.]

Et quia nonnulli [omnibus diebus d vitæ suæ cum habitu religioso, in suis proprijs persistunt institutis; ita vt vbi in his consueuerint, nesciant adhuc quo in statu res suæ sitæ sint: & si Deum non sentiant, non admodum curent, & id putent esse resignatione; cum potius sit dissoluta quædam, & remissa negligentia; atque interim alia se ipsorum interioribus insinuent, siue id ipsi sint, siue aliquid suum, & Dei locum occupent in eis.] interea verò obseruatio-

nes internas vt spiritus quieti (verè autem ipsorum falso otio) aduersantes, reijciant, nec prorsus admirabilem spiritus nostri actiuitatem suavi modo cohibendam, & ordinandam esse, obseruare velint: vtilè videtur hoc loco, quid viri maximè spirituales de industrijs mysticis sentiant, audire. & primò quidem Richardus [tres e gradus contemplationis constituens quamplurimum industrijs concedit. Primus, inquit, surgit ex industria humana, tertius ex sola gratia diuina, medius autem ex vtriusque permixtione, humanæ videlicet industriæ, & gratiæ diuinæ. In primo gradu quasi Arcam nostro labore fabricamus, quando contemplandi artem nostro studio, & industria comparamus. In secundo gradu Arca supportantium humeris subleuatur, & quasi præcedentis nubis vestigia sequitur, cum industria satagente, & reuelationis gratia cooperante, & quasi præeunte, contemplationis radius dilatatur. In tertio gradu Arca in Sancta Sanctorum infertur, & quasi intra velum collocatur, quando contemplationis acumen ad intimum mentis sinum colligitur, & ab exteriorum memoria, obliuionis & alienationis velo secluditur.] Rosbrochius præterea [principium, inquit, sive originem suam vndè profluxit, iugiter contemplabitur, atque in ipsam totis viribus redire nitetur; denique quid sit, vbinam sit, vndè venerit, quo prola-

Xx 2

plus

a Psalm. 72. b Eccl. 39. c S. Thom. 22. q. 9. a. 2. d Taul. in fest. S. Laurent. serm. vnic. c l. 5
Cent. c. 2, & In summ. vitæ spirit.

plus sit, quo mox vocandus sit, quid agat, aut qua de causa quæque agat, sagaciter attendens, in virtute atque veritate ad vltimum vsque spiritum constantissimè perseuerabit. rursus etiam, *a* inuestigare, & explorare conatur, quidnam obsistat sibi, quo minus, neque in Deo, neque in seipso consistere, aut durare queat; statuit ergò à summo vsq; deorsum totum perlustrare, ac perspicere animæ suæ regnum, & hic rationis magna est celeritudo profectu. cernens autem *b* nihil se proficere, vel consequi, sed semper omnem perdere operam, & conatum, iam sublimis memoria de toto animæ regno cogitat: si quid in eo vsquam desit, quod disponi, ordinari, regique oporteat, quamobrem duos mittit nuncios deorsum in animæ regnum; quorum vnus, est ratio diuina illuminata sapientia; alter, est agilitas, seu celeritudo acta, & impulsiva, tum à Patris contactu, siue instinctu, tum ab amoris in anima existentis æstu.]

Accedit his Taulerus dicens [in expedita, *c* & libera sui in fundum introversione aperiuntur, atque ostenduntur homini viæ, & modi, quibus pertingatur ad Deum: intelliguntur etiam viæ, ac modi Dei ad hominem, quantoq; magis ab omnibus expeditur, & liberius introuersus est homo: tantò verius, lucidiusq; has vias cognoscit, quisquis autem vel in seipso, vel in aliquo alio istam gratiam minimè reperit, no-

uerit se hanc viam, vel aliam non tenuisse: id est, non locum, nec tempus, nec otium illi præbuisse, non etiam quæsiisse eam intus.] maiori dein instatia similes industrias prosequitur; dicens: [certo quisq; scire, atque *d* veraciter sentire debet: quia vera sciëntia si quis præditus non sit, quærat ex Sanctis, & prudentibus hominibus, vt certò sciat, non autem opinione ducatur. & paulò post; debet igitur in hac vita hoc nostrum esse exercitium, vt plus assequamur essentia; & magis, ac magis ad perfectionem accedamus; quamobrem qui modò viam viriliter perreperunt, ac penetrarunt, quique seipos supra tempus, benè sustollere norunt, omnemque vitam suam ordinarunt ad Deum, & familiaritatem capessendam, & iuxta illius instituerunt beneplacitum, & voluntatem, hos eo minus temporalia quæque, & quæ à tempore accidunt, dispergunt, distrahunt, multiplicant, impediunt. quantò enim mens intus in Deo fixa est; tantò in omnibus, quæ agunt, tranquilliores, ordinatiores, & immobiliores sunt, minusque intricantur, ac impediuntur.]

Harphius idem confirmat; cui [amor otiosus esse non potest, sed scitu, pariter, & gustu scrutari nititur in-scrutabiles diuitias in suo fundo viuentes; & tunc virtus intellectiua propè remanet sedens sub umbra illius, quem desiderabat.] anima enim nostra est tantum felix [secùdum esse *a* actuale,

a De Regn. amant. Deum c. 25. *b* Ibidem. *c* Lib. 3 p. 4. c. 29.

c Taul. serm. 1. in Fest. S. Laur. *d* Ibidem.

le, quod in operibus perfectionis, vel etiam in operositate perfecta virium suarum initium sumit. hoc etiam esse, est quædam adornatio, & perfectio essentia ipsius animæ: non enim anima nostra à Deo facta est, vt velut truncus insensibilis, otiosa quædam substantia, sine omni operatione permaneat, sed vt opera viuida perficiat. Et in hoc esse actuali magis propriè vera nobilitas animæ consistit, quam in esse suo essentiali: quia propriè secundum esse suum actuale, facta est ad imaginem, & similitudinem Sanctissimæ Trinitatis.] Gersonius *b* autem tantum tribuit industrijs mysticis, vt totam suam Theologiam practicam duodecim industrijs comprehendat. sic & Canseldt noster in supremis etiam operationibus *c* subtilissimas industrias requirit.

Horum porrò doctrina, in Sancto Dionysio fundatur, qui sentit [non *d* esse diuinarum rerum, quæ contingere possit, negligendam scientiam, atque in hanc nos scientiam adduxerunt, nō solum mentium appetitus, qui à natura tributi, amanter semper cupiunt rerum præclararum, quæ esse potest, cognitionem, & scientiam; verum etiam ipsa diuinarum legum optima præscriptio: quæ ea quidem quæ supra nos sunt, ne curiosius exquiramus, vetat; quod & merita nostra superent, & comprehendere non possint. ea autem omnia, quæ nobis permissa, & concessa

sunt, tum diligenter discere iubet, tum benignè cum alijs communicare.] & alibi *e* [si quis posset, inquit, pulchritudinem, & dignitatem, quæ intus latet, aspicere, is mysterij plena, & diuina, magnique, ac Theologici luminis plena inueniet omnia: sed hæc solis viris sanctitatis studiosis, & amatoribus aperiantur] nimirum quia indagacionem perfectam, in solis supremis, consequitur quis statibus.

Et certè cooperationes, & industriæ humanæ omninò videntur necessariæ. hæc *f* est enim [differentia inter Angelum, & hominem, quod Angelus simplici apprehensione veritatem intuetur; homo autem quodam processu, ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. sic ergò vita contemplatiua, vnum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur, scilicet. contemplationem veritatis, à quo habet vnitatem; habet autem multos actus quibus peruenit ad hunc actum finalem: quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis. Alij autem pertinent ad deductionem principiorum, in veritatem eius cuius cognitio inquiritur. Vltimus autem contemplatiuus actus est, ipsa contemplatio veritatis.] quod autem [intellectus noster *g* singulas res per singulas species proprias cognoscat, & potentiam cognoscat pro vt est in potentia,] hoc non tantum est ex natura conditionis huma-

X x 3

a Ibidem c. 24 p. 3. *b* Theol. præf. in Prol. *c* De volunt. Dei 3 p. c. 3. *d* S. Dion. de diu. nom. 6. 3. *e* Epist. ad Tit. *f* S. Thom. 2. 2. q. 180. a. 3. c. *g* L. 1. cont. gent. c. 71.

humanæ, sed etiam vt penitiùs singula-
res actiones, & cognoscat, & regat.

Est ergò industria humana quasi
a [purgatio, illuminatio, perfectio,
quæ est diuinæ scientiæ assumptio] quæ
quidem *b* [scientia est donum Dei, quo
homo certum, & rectum iudicium ha-
bet de rebus diuinis, ac etiam *c* huma-
nis, vel creaturis, quatenus de ijs per al-
tissimam causam iudicatur.] ea propter
per sapidam hanc scientiam, discit my-
sticus quæcunque sunt abscondita, &
impronia status, & instantaneæ vicissi-
tudinis internæ; cum in illa *d* sit spiritus
intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex,
subtilis, discretus, mobilis, incoinqui-
natus.

Tandem tot, quot à scriptoribus
mysticis, doctrinæ, distinctiones, regu-
læ, instituta, seu documenta præscri-
buntur, & quidquid in ipsis legitur, aut
cognosci potest; semper aliquem mo-
dum ab hoc, vel illo differentem expo-
nit, & astutiam, siue industriam quan-
dam aperit. est enim sapientia thesau-
rus desiderabilis in ore sapientis; stul-
tus autem deglutit eam. quasi diceret:
sicut cibus in ore masticatur, commi-
nuitur, & vt à meliori, aut ignobiliori
discrepet, degustatur: ita diuinæ naturæ
confortium, à studioso mystico rumi-
natur, examinatur, erigitur, vel depri-
mitur, sinistro, vel dextro lateri adstare
animaduertitur. Stultus autem, & qui
generali conuersione quoduis Deum,
aut sensibilem amorem redolens, quasi

integrum, & indifferenti intuitu arri-
pit; in absconditis diuinis consiliari
nescit, nec pretiosum à vili separare
nouit.

Cæterum quod impossibile sit, con-
tinuò vniformiter in mysticis operari,
quodque indies alia, atque alia animadu-
uertentia, & industria opus sit, quo ita
plenè, perfecteque in Nunc instanti, &
vt ita dicam, toto se in Deo, & agat, &
agatur; ex eo vel maximè prouenit
tum quod verbum nostrum, de qua-
cunque tandem re instituatur, non
semper sit formatum, quodque citius,
vel tardius; & pro conditione discursus,
& cogitationis intermediæ fformetur;
tum quod [anima perueniens ad
vniformitatem Angelorum, tum de-
mum *g* promoueatur ad coniunctio-
nem primæ veritatis;] tum quod mens
in vno actu amoris continuato, nõ di-
duret; variatione enim, & mutatione
naturaliter delectatur, & non variata
vix percipitur ab operante, & nec de-
lectat, nec animum quietat. idè etiam
amor, vel accenditur, vel renouatur,
vel per novos actus exercetur.

Sicut ergò circa gratiam gratum fa-
cientem, operandum est etiam secun-
dum gratiam præuenientem, conco-
mitantem, & subsequenter; ita quo-
que in fruitionibus internis confide-
randum venit, cum alia, atque alia sit
operatio fruitionis, pro vt incipit, pro-
ficit, & perficitur, & pro vt ad has faciliè,
vel difficulter pertingitur, ac insuper,
pro

a De verit. q. 26. a. 1. *b* 22 q. 9. a. 1. *c* & a. 2. *d* Sap. 7. *e* Prov. 21, ut sept. Int. *f* Hic per
totum. *g* S. Dion. de diu. nom. c. 4.

pro vt diu, vel modicum durat, alta, vel infima complectitur; quorum quidem obseruatio, (eo fine vt magis conformiter interioritas instituat) industria quædam est. Et quia [quantò humanus intellectus est altior, tantò ex paucioribus plura cognoscit,] & [ex hoc quod aliquis habet alicuius scientiæ habitum, ex ipsa præsentia b habitus est potens percipere illa, quæ subsunt illi habitui,] hinc [excitatus cum reuerentia motus cordis se quasi per distincta c verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format,] ita vt quantò plura intellecta actu in sece nobis fecerit tantò perfectius intellectus agens continuetur in nobis;] & eiusmodi [industria diuabitur contemplatio, vt separetur homo ab omni eo, quod Deus non est, etiam à seipso.] non enim [hæc visio inquietam e curiositatem excitat, sed sedat.] sic namque essentia cuius odoris suauitas mentem superat ab igneis, mundissimisque mentibus, sursum ferri cognitionis causa vult, diuinosq; afflatus suos in beatissimis illis diuisionibus & effusionibus ijs largitur, [qui ipsam f ita excellenti modo excitant.] lam verò ex dictis cum satis colligi possit, industrias mysticas pro instituenda, & continuanda fruitione omninò necessarias esse; consequenter dicendum erit, vndè, & quomodo similes industria formari possint,

Quid sit Dimensio Mystica.

ARTICVLVS TERTIVS.

VT ergò ordinatè, industria ex mysticis vigilijs exurgentes, ad actus exercitium deducantur, & fruitioni diuinæ continuandæ inseruiant; oportet altissimas, & summè spirituales mentis perceptiones, & transformantia diuinæ naturæ consortia, in [primum g principium nostræ cognitionis, quod sensus est quodammodo resolvere;] vt omnia de quibus iudicamus, & certò, & ordinatè discamus intelligere. hinc [mens nostra tanquam b mensura dicitur, eo quod alia omnia metiatur dans singulis formam, & pondus suum, cunctaque distribuat, atque partiat,] atque ita in imaginatione Empedoclis de Dei infinitate resultabat dimensio spherica cum diceret: Deus est circulus, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam. sic etiam dicitur. [Deus magnus, i Paruus, Idem, Similis, Dissimilis:] imò etiam iuxta Apostolum habet k latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & Profundum. quæ quidem, & similia nomina de Deo, licet [quantum ad modum l significandi deficient: tamen, quantum ad significatum substantiale, vera sunt, & verum dicunt.]

Infinita ergò illa, & interminabilis diui-

a S. Tho. l. 2. cont. gent. c. 98. b q. 10. de ment. art. 8. c. c Greg. l. 2. mor. c. 5. d S. Bonau. ser. 2. de Lum. Eccl. e Idem 7. Itin. in prol. d. 5. & Bern. ser. 23 in Cant. f S. Dion. de Eccl. Hier. c. 4. g S. Thomas q. 12. de verit. a. 3. ad 2. h Taul. Dom. 13. post Trin. ser. 2. i S. Dion. de diu. nom. cap. 9. k Ephes. 9. l S. Thom. 1. p. q. 13. a. 2. & a. 3. c.

diuinæ essentia perfectio, cum in mente purissimè illuxerit, sui aliquam similitudinem imprimit, quæ ubi ad imaginationis infima descenderit, dimensionis alicuius imaginem subit. [magis enim vniuersalia, *a* & communia, sunt priora in nostra intellectuali, & sensitua cognitione.] Vndè & dici potest, Dimensio mystica est particula, vestigium, seu interpret notitiæ diuinæ in imaginatione resultans. quod sit dimensio quædam, hoc commune est ad res omnes finitas; at quod diuinæ naturæ sit repræsentatio infima, nostram descriptionem respicit. ita vt reuera [sint *b* ea quæ videntur, eorum quæ sub aspectum non cadunt, certæ, claræque imagines.] ordine itaque retrogrado, id quod de Deo, & communicatione primi boni in hac vita accipitur, in infima potentia substantiæ spiritualis, habet imaginem spatij, & circumferentiæ cœli cœlorum, aut alterius alicuius situs, vel dimensionis; in intellectu agente speciem intelligibilem, in intellectu patiente verbum mentis, & rationem rei cognitæ; in Transcendentia autem intellectuali, seu amatiua parte, simplex bene-affici.

Sunt ergò dimensiones mysticæ, [sensus *c* amoris diuini, & quædam particula rationis, ac sapientiæ,] quæ loco phantasiæ exemplari, & *d* vmbra de feruiunt futurorum. quo ita [hominis cognitio *e* à sensu oriatur] [etiam

in ijs quæ *f* sensum excedunt,] eiusque ratio per signa veritatem colligat, ac etiam vt terminus creaturarum, primo rerum principio vniatur; & quadam circulatione perfectio rerum concludatur.] quam autem ad praxin hæc sint scitu necessaria, magis constabit ex sequentibus;

Sine dimensionis aliqua similitudine, nec verbo, nec scripto quidquam tractari posse de mysticis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ipsa causa prima cum sit omni generatione superior, nec aliquid sufficiat ad narrationem eius, propter magnitudinem esse ipsius [*h* vnum ipsum id quoque, quod incognitum est, quod est essentia superius, *i* bonum ipsum quid verè sit, trinam vnitatem dico, quæ vna Deus est, & simul bonum, nec dici potest, nec cogitari neque eius sensus est vllus, neque visio, neque opinio, neque nomen, neque oratio, neque tactus, neque scientia: difficilisque diuinorum nominum tractatio.] & idè [de rebus *k* simplicibus loqui non possumus, nisi per modum compositorum, à quibus cognitionem accipimus; & de Deo loquentes vtimur nominibus concretis, vt significemus eius substantiam. quia apud nos non subsistunt nisi composita, & vtimur nominibus

a 1. p. quest. 85. a. 3. c. *b* S. Dion. Epist. ad S. Ioan. Apost. *c* S. Dion. de diu. nom. c. 7. *d* Hic a. 1. *e* Hebr. 8. *f* S. Thom. cont. gent. *g* Ibid. l. 1. c. 12. *h* Aristot. in lib. de cau. *i* S. Dion. de diu. nom. c. 1. *k* S. Thom. 1. p. q. 3. a. 3. ad 1. *l* S. Bonau. 5. Itin. ater. d. 5.

minibus abstractis, vt significemus eius simplicitatem. quæ quidem diuersitas ex parte intellectus nostri, & non ex diuersitate rei fit.] sic etiam [spiritualis & amœnitas (qua anima sic vnitur Deo) vt sit nec volens, nec valens, aliud sentire nisi Deum, non potest per aliquas imaginabiles describifimilitudines, nec per sensibilibus depingi comparationes: quia purè spiritualia tantum differunt à sensibilibus, sicut & spiritus à corpore.] hæc tamen difficultas maximè spectatur [circa operationes interiores b in affectu, quæ non ita clarè proferuntur, nec ita possunt scriptis tradi, sicut sentiuntur. atque hæc est ratio, quare Apostolus dixit, se audiuisse arcana verba, quæ non licebat homini loqui: quoniam illa minus poterat tradere.] hinc ergò [mihi e propè semper sermo meus displicet: melioris enim audis sum, quo sæpè fruor interiùs, antequam eum explicare verbis sonantibus cœpero. quod vbi minus, quam mihi notus est, eualuero, contristor linguam meam cordi meo non posse sufficere. Totum enim quod intelligo, volo; vt, qui me audit, intelligat: at sentio me non ita loqui, vt id efficiam: maximè, quia ille intellectus, quasi rapida coruscatione perfundit animum: illa autem loquutio tarda, & longa est, longèque dissimilis.] [pergat autem quis forsitan quærere à me, etiam verbo, quid d sit? scilicet,

quod in spiritu de Deo maximè sublimiter percipitur; respondeo, quærat potius expertum, à quo id quærat. Aut si & mihi experiri daretur, putas me posse eloqui, quod ineffabile est? Audi expertum: siue inquit, e mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis: hoc est, aliud mihi cum Deo solo arbitro: aliud vobiscum mihi illud licuit experiri, sed minimè loqui: in hoc ita condescendo vobis, vt & ego dicere, & vos capere valeatis.]

Quapropter [diuinæ scripturæ, f vt inferiorum speculationi alludent, & humanæ fragilitati condescendant, res inuisibiles, per rerum visibilibus formas describunt; & earum memoriam, per quarundam specierum concupiscibilium pulchritudinem, mentibus nostris imprimunt. Hinc est, quod nunc terram lacte, & melle manantem, nunc flores, nunc odores nominent: nunc per cantus hominum, nunc per concentus auium, cœlestis gaudij harmoniam designent. legite Apocalypsim Ioannis, & inuenietis Ierusalem ornata per aurum, & argentum, & margaritas, & alias quaslibet gemmas multipliciter descriptam. Et scimus, quod horum quidem ibi nihil sit: vbi tamen omninò nihil deesse potest. Talium quippè nihil est ibi per speciem, vbi tamen totum est per similitudinem.] [cum enim g omnis cognitio fiat per aliquam similitudinem,] [sensibilis cogni-

Y y

a S. Bonau. process. Relig. 7. l. 2. c. 72. b Gers. Theol. spec. cons. 6. c S. August. d S. Bern. e 2. Cor. 5. 13. f Hugo Vict. serm. de hom. inter. g S. Thom. Cont. Gent. lib. 1. cap. 63. h Ibid. lib. 3. cap. 53.

cognitionis nomina ad intelligibilem cognitionem transfumimus, præfertim visus.] & eo sensu *a* [in interiori homine sua quædam terra, suum habet cælum; nec unum tantum, sed secundum post primum: & tertium post primum, & secundum. Et ut hoc triplex cælum congrua possimus distinctione discernere, primum dicatur imaginale, secundum rationale, tertium intellectuale. Tenet itaque imaginatio vicem primi cæli, ratio secundi, intelligentia verò vicem tertij. Et horum quidem primum, cæterorum comparatione, grossum quiddam, & corpulentum, & suo quodam modò palpabile, atque corporeum; eo quod sit imaginarium, atque phantasticum, post se trahens, & in se retinens formas, & similitudines rerum corporalium, reliqua verò duo huiusmodi comparatione admodum subtilia, & omninò incorporea, & ab eius crassitudine multum longinqua. sic sanè cælum hoc exterius, quod nos dicimus firmamentum, absque vlla dubitatione constat esse visibile, atque corporeum, & ipsum quidem primum, & omnium infimum. Quod autem est terra ad hoc visibile cælum, hoc est sensus corporeus ad illud internum phantasticum, & imaginarium cælum. Nam sicut hoc visibile cælum, omnium quæ terra gignit, atque nutrit, multitudinem, sinus sui magnitudine comprehendit: sic omnium, quæ sensus attingit, appetitus suggerit, similitudines intra sinum suum imaginatio in-

cludit. In primo itaque cælo comprehenduntur omnium visibilium imagines, & similitudines; ad secundum verò pertinent visibilium omnium rationes, definitiones, & invisibilium investigationes: ad tertium autem spectant spiritualium ipsorum, etiam divinorum comprehensiones, & contemplationes.] [intelligimus etiam Deum intra *b* omnia, sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum: & idè interioriorem, ut omnia contineat: idè exterioriorem, ut incircumscripita magnitudinis suæ Maiestate omnia concludat.]

His itaque positis clarum est, nihil nec scripto, nec verbo de mysticis dici, aut tractari posse, secundum illam quam in spiritali perfectione habent existentiam; sed tantum prout illarum eminentia, ab intelligibilibus, & sensibilibus formis, ac imaginibus eleuata, vsq; ad inferiores rerum sensibilitates distulit afficit, rerum similitudines ac imagines producit, & existere facit: Vnde etiam] rudiora spiritalia tantum, scripta sunt, tum quod vulgus (perfecta) non capiat;] tum quod verbis humanis, & rebus materialibus magis, quam spiritalibus substantijs proprijs vti oporteat, intellectus quippe noster propter nimium sensum, sensibilem commercium, in hac vita ad intelligibilia pura sit ineptus. idè prudentes Theologi sensibilibus quibusdam, & his quidem honestioribus intelligibilia vestiunt, ita demum intellectu nostro magis accommodata: qui lumen intel-

a Richard. l. 3. de Cont. c. 8. *b* Isid. *c* Taul. Instit. c. 32.

intelligibile ita temperatum, tam facile cernit, quam oculi lumen quodlibet in corporibus vident quodammodo solidis, alioquin minimè discernendum; demum ita intellectus temperatur; sicut sol ipse, qui alioquin tolerari non potest.

[Quicumque ergo aliqua cognoscit intellectualem lumine, quod est ei effectum quasi connaturale, ut forma in eo consistens; oportet, quod de eis fixam cogitationem habeat: quod esse non potest, nisi ea inspiciat in principio, in quo possunt cognosci; quamdiu enim non fit resolutio cognitorum in sua principia, cognitio non formatur in vno; sed apprehendit ea quæ cognoscit secundum probabilitatem quandam.] cum autem cognitio nostra à sensibilibus incipiat [(obiectum enim intellectus nostri est, quod quid est in materia existens,) oportet ut in traditione eorum, quæ purè intelligibilia sunt, in sensibilia, utpotè cognitioni nostræ viciniora, resoluantur. & idè etiam [de Deo non nisi balbutiendo loqui valemus,] & in diuinis explicandis, [elementis & syllabis, verbis, scriptis, sermonibus; sensuum causa utimur. Quia [impossibile est lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuolutum;] scilicet [quantum ad primam & intellectus informationem, iuxta il-

lud Philosophi, intelligentem oportet phantasmata speculari.]

[Sanctæ tamen diuinæque generationis perfectio, ut in signis posita, nihil in se deforme, aut scædum continet, vel earum imaginum quæ sensu percipiuntur, sed diuinæ contemplationis naturalibus, dignisque nominibus speculis adumbratas obscuritates. sunt enim ea, quæ sensu percipiuntur, eorum quæ animo cernuntur imagines, & ad ea via, & introductio; ea autem quæ ratione intelliguntur, eorum hierarchiæ, quæ sub sensum cadunt principium, atque scientia.] sicut & [quæ sub g sensum cadunt interpretes sunt earum proprietatum, quæ ratione intelliguntur.] Quod cum ita sit, & quælibet, quantumcunque etiam sublimis nostra cognitio, vsque ad sensibilia naturaliter se dimittat, omnis industria, & praxis facilitas, tam circa seipsum, quam circa alios, in eo versari videtur; ut superexcedentes illæ intellectus cognitiones, etiam mente superiores, pro ut in visibilium imagines, dimensiones, seu sphaeras quasdam resultant, dijudicentur, & discernantur: ne dum secundum spiritum procedendum est, aliquis fundo se includat, aut dum deorsum eundè est, sursum eatur; si sinistrorsum, dextrorsum pergat. de his porrò, & similibus pro ampliori notitia, latiùs consequenter dicendū erit,

Y y 2

Quod

a S. Thom. de Proph. q. 12. a. 1. c. b S. Greg. Moral. l. 5. c. 16. c S. Dion. de diu. nom. c. 4 d Idem de Cæl. Hier. c. 1. e Dion. Carth. in Comment. myst. Theol. a. 2. f S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. g Ibidem.

Quod loco phantasia apud mysticum sint dimensiones Diuinitatis, scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi.

ARTICVLVS QVINTVS.

IAm verò cum intellectus noster sine imagine aliqua, dum per intellectum agentem, & ordinario modo procedit, (in initio saltem operationis) intelligere nequeat; eiusmodi [sacra a signa, non fortuitò, temerè, & casu confundenda sunt: sed explananda congruenter causis, & essentijs, aut facultatibus, aut ordinibus, aut dignitatibus earum rerum, quarum sunt interpretes, indicesque imagines.] vndè cum Paulus sublimissimam, quam de Diuinitate habebat notitiam, alijs communicare vellet, [Aucto, b inquit, genua mea, ad Patrem Domini nostri Iesv Christi, vt scilicet in charitate radicati, & fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.] atque ita immensum dimensionibus metitur, infinitum finitis lineamentis describit. quia nimirum [id e quod est simplex, & vnum, non potest repræsentari, nisi per multa.] sic [Diuina d Essentia res vna cum sit, est tamen latitudo propter charitatem, longitudo propter æternitatem, sublimitas propter maiestatem, pro-

fundum propter sapientiam.] vel [latitudo diuina e dicenda est immensa Dei ad omnia perfectio: longitudo autem vis, quæ ad omnia pertinet: profundum verò obscuritas, & ignoratio, quæ à rebus omnibus comprehendi potest.] & eiusmodi planè dimensiones, apud mysticum sunt loco phantasia: ceu [sensus, qui sint finterpretationis,] habentes g particulam quandam sapientia.] in tantum, vt sicut naturali ordine, intellectus non potest intelligere, nisi per conuersionem ad phantasmata; ita quoque mysticus, cum ex toto ad nouam aliquam formationem procedit, necessariò in imaginatione aliquam dimensionis similitudinem, (vt tenebras in quibus Deus posuit latibulum suum) vsque ad eius, & desertionem, & transcendentiam, patiatur. & ideo in initio operationis, [omnis cognitio h fit per modum similitudinis;] ita vt licet [cum diuinitus i aliquid raptim, & veluti in velocitate corusciluminis interluserit menti, spiritu excedente; siue ad temperamentum nimij splendoris, siue ad doctrinae vsum: continuò tamen (nescio vndè) adsint imaginariae quædam rerum inferiorum similitudines, infusus diuinitus sensibus conuenienter accommodatè, quibus quodammodo obumbratus purissimus ille, ac splendidissimus veritatis radius, & ipsi animæ tolerabilior fiat,

a S. Dion. Epist. ad Tit. b Ephes. 3. c S. Thom. 1. p. q. 3. a. 3. ad 2. d S. Bern. l. 5. de conse. c. 13. e S. Dion. de diu. nom. c. 9. f S. Dion. de diu. nom. c. 7. g de Eccl. Hier. c. 2. h S. Thom. 1. 2. Cont. Gent. c. 98. i S. Bern. serm. 41. in Cant.

fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior.]

[Similitudines a itaque diuino lumine illustratæ, habent rationem speculæ: in quo, quæ eminenter sunt intelligibilia, alta, summa, & abscondita; vt vestigia, & particulo diuinæ sapientiæ sub dimensionibus quibusdam videntur. Sunt autem eiusmodi dimensionis similitudines, idcirco loco phantasiæ; quia in modo supernaturaliter operandi, ad exercitium actus, nec sensus, nec quæ à sensibus abstrahuntur, quidquam conferunt; sed id quod eminenter de Deo in supremo modo cognoscendo occultitur, hoc ex abundantissimi lumine proportionatè ad imaginationem dilabitur, & immensitatem Nunc æterni in harum, & similibus aliquam similitudinem, spheram, seu cæli amplitudinem resoluit. & sic tales dimensiones, ceu [phantasmata b in imaginatione hominis formantur diuinitus, magis exprimentia res diuinas, quam ea quæ naturaliter à sensibus accipimus.]

Diuersæ autem, & plures inueniuntur similes dimensiones; quia [ad comprehensionem c totius entis requiruntur plures similitudines.] cum enim [humanus intellectus d Deum nequeat, vt est, cognoscere; sic sub diuersis rationibus, multas sibi de ipso propositiones veras format.] de diuinitate quidem, quod sit quædam latitudo, eo quod latè, & absque vllò defectu, ad

omnes SS. Trinitatis personas æqualiter sese diffundat; de Patre æterno autem, quod sit quædam longitudo, eo quod in longitudine dierum, & duratione æterna, filium sibi æqualem generet; de Filio verò, quod sit quædam sublimitas, figura, & substantia Patris in sublimitate dexteræ eius collocatus; de Spiritu S. tandem, quod tanquam ab utroque procedens, pondus quoddam sit amoris vtriusque, ex profundo actionum, & operationum ad intra procedens.

Et licet interea, in imaginatione representetur Deus, velut quantum, figura, aut colore præditum; iudicat tamen intellectus eiusmodi nihil in substantias contineri; sed meliorem illas habere naturam, eamque spiritualem. Undè etiam hæc non contingunt secundum virtutem superiorem, & pro vt in exercitio actus, omnem negationem, & affirmationem transcendit, & supra virium operositatem Deo vnitur, sic enim similibus non intendit: sed pro vt in inferioribus versatur, & sese ad operationes disponit. quæ quidem [inferior e virtus licet se ad plura extendat, tamen multiplicata minus intelligit:] sicut è contra [virtus f superior, licet ad plura se extendat, est tamen vnica.] & sic demum [hæc est illa quadruplex regio, videlicet Orientalis, Occidentalis, g Aquilonaris, & Meridionalis, quam tu o anima debes quotidie peregrinando intrare, & tuum dilectum

Y y 3

ctum

a S. Thom. 2. 2. q. 173. a. 1. b 1. p. q. 12. a. 13. c Lib. 3. cont. Gent. c. 75. d 1. p. q. 13. a. 12. e L. 2. cont. Gent. c. 65. f Ibidem. g S. Bonau. in prol. Soliloq.

ctum specialissimum in ea speculando
quærerere, & inuestigare:] [*a* ante ta-
men elaboratis typicorum signorum
simulacris.] ita vt imaginatione bene
ordinata, dein citò deferatur, & ad pu-
ras operationes liceat transire; quod vt
ordinatè fiat, consequenter dicimus;

*Quamdiu sit opus conuersione ad phan-
tasinata.*

ARTICVLVS SEXTVS.

EXpositis sensibus mysticis, & cœle-
stium umbris, iam videndum est,
quamdiu his sensibus loco phanta-
siæ, aut conuersionis ad phantasma-
ta, vtendum sit; vt dein ilicò perfe-
ctioribus diuinis similitudinibus in-
formetur [memoria enim habens effi-
giem æternitatis ex retentione præteri-
torum, præsentium & futurorum, non
solum habet ab exteriori formari, per
phantasmata: verùm etiam à *b* superiori,
suscipiendo, & in se habendo simplices
formas, quæ non possunt introire
per portas sensuum, & sensibilibus
phantasiis.] [simplex porrò intelligen-
tia tunc dicitur, quando absque ra-
tionis discursu contemplamur: pura
verò, quando sine imaginationis in-
teruentu; siue omninò excludatur
imaginationis operatio, siue ita sit
exigua, & imperceptibilis, vt ferè dici
possit, non esse imaginum interuen-
tum.]

a S. Dion. epist. ad Tit. *b* S. Thom. de verit. *c* Dion. Carth. l. 1. de cont. c. 1. *d* Taul. instit. c. 35.
e S. Thom. l. 1. cont. Gent. c. 20. *f* Suar. tom. 2. de Rel. l. 2. de orat. c. 14. cum omnibus Theologis vt
Sandæus 165. Theol. Myst. p. 165.

[Quod si verò, quærat aliquis, cur
omnibus imaginibus renuntiandum
sit? respondetur eam ob causam, quod
non nisi via quædam sint, ad nudam,
& simplicem veritatem. si ergò ad ve-
ritatem ipsam pertingere quis velit,
paulatim abdicanda via est.] [imago
e enim non recipit nisi corporum si-
militudines;] itaque sicut imaginatio-
nis vsus, ad intelligentiæ principia
confert: vterius obstat; sic cum pri-
mum intelligibilia per actionem adhuc
imagine aliqua vestitam, consecutus
fueris; posthabenda est imago; hucus-
que enim tantum confert: vterius im-
pedit. & idè intellectus agens sibi ipsi
similitudines quasdam, vel ex rebus
sensibilibus, aut imaginabilibus for-
mat, propter dependentiam intelle-
ctus agentis ad phantasiam, in princi-
pio suæ operationis. Verùm vbi ad mo-
dum supernaturaliter operandi perti-
gerit, vsus phantasie amplius locum
non habet: ita vt purè contemplans,
eis nec vti, nec earum coexistentiam
aduertere debeat. cum enim phanta-
sia, & intellectus sint potentie distin-
ctæ, & diuersi generis; non obstat,
quin vna sine altera, suam functionem
peragat post informationem intelle-
ctus agentis. quando ergò intellectus
agens omnes cœlos, sphæras, sonosue,
aut quidquid eiusmodi aduertere solet,
transcenderit; ilicò absque eorum vsu
intellectus sua purè operatur. atque
ita [non implicat *f* contradictionem
intelli-

elevari mentem hominis, in hac vita, ad hoc contemplationis genus, in quo intelligibile contempletur, sine vilius sensus cooperatione.]

In praxi tamen res non caret difficultate; ut scilicet aliquis in exercitio actus ita phantasmata, & horum omnem similitudinem delerens purè, & substantijs separatis conformi modo diuina contempletur. tum quod [magis dependeat intellectus a phantasia, quam hæc a sensu exteriori in sua operatione. quia cum phantasma, quod formatur a phantasia, sit similitudo rei particularis, non indiget phantasia ad functionem suam alia similitudine particulari sicut indiget intellectus humanus in corpore existens, cuius proprium obiectum est quidditas, seu natura, in materia corporea existens:] tum quod [cognitio nostra licet a sensu ortum sumat, & prius sint cognoscibilia quæ sunt sensui viciniore: vterius b tamen terminum cognitionis habeat in eo, quod est maximè a sensu remotum:] tum quod [humana cognitio gratiæ, etiam si sit per revelationem diuinam, non tamen eleuetur, quantum ad modum cognoscendi, nisi status mutetur. modus autè, quo naturaliter cognoscit intellectus, est, ut a phantasmatis accipiat. vnde nisi homo in alium statum mutetur, oportet quod etiam in cognitione gratiæ, quæ est per reue-

lationem diuinam, semper intellectus inspiciat ad phantasmata:] hinc etiam [nobilitas, & dignitas contemplationis, non tam a phantasmatis, etiam diuinitus infusis, quam a pleniori, & eminentiori lumine intelligibili, quod confirmat, & eleuat potentiam intellectualem, desumenda est.]

Status autem tum mutari dicitur; quando quis se habet medio modo, viz, & patriæ, seu [quando quis est inter tempus, & æternitatem, sicut sunt dormientes, & ecstasim patientes.] quam quidem passionem non semper violentam necessariò esse; sed suauitatis excessu familiarius contingere, dictum est infra f ad hunc tamen excessum, non semper in actuali exercitio arcani amoris peruenitur; licet enim in supremis statibus procedatur ex sapientiæ dono, quod dat delectabiliter, facile, & cum quis voluerit, operari; hoc tamen non ita perfectè semper fit, ut purissimæ contemplationis supremus actus exerceatur; sed tum demum, quando omnia specula deserens, angelico modo simplici intelligentia illustratur.

Interea verò dum cœlestia exemplaria mundantur, & ad puram intelligentiam tenditur, istiusmodi coadstantes [imagines g sanctæ nihil habent fœdi;] nec etiam summo contemplatori, quique aliàs etiam ad tertium cœlum

lum

a S. Thomas prima part. quæst. 84. art. 7. ad 2. b 2. 2. quæst. 27. art. 4. c. c S. Thom. de verit. quæst. 18. art. 5. d Prima part. quæst. 12. art. 13. ad 2. e S. Thom. lib. 2. contr. Gent. cap. 81. f De 6. art. 14. & De 7. art. 3. g S. Dion. de Eccl. Hier. cap. 2.

lum sæpius raperetur, nihil indignum. vnde & [Christus ipse in scientia acquisita, fuit vsus conuersione ad a phantasmata, ne sensus phantasiæ esset frustra.] quæ etiam [scientia Christi est infra scientiam b Angelorum, scilicet quantum ad modum cognoscendi, qui est naturalis animæ suæ; qui scilicet est per conuersionem ad phantasmata, & per collationem, & discursum.] & idcò cum [ex hoc c anima hominis viatoris indigeat ad phantasmata conuerti, quod sit corpori obligata, & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens] [sacra d signa non fortuitò, temerè, & casu confundenda sunt.] hinc etiam concedendum est, quod dimensiones diuinæ latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profunditatis, quàmuis in statibus supernaturalibus non formentur, sed in imaginatione, vt sensus, imagines, seu particulæ quædam eminenter communicatæ diuinitatis, resultent; propter ipsas dimensionum sphaeras, erectas, vel depressas, summas, vel infimas, aliquid comitantis phantasiæ habere; vt per illas intellectus, sicut sensus de albo, & nigro, dulci, & amaro; ad propriam interioritatis suæ dispositionem, & prosecutionem diiudicare valeat, donec illas deserendo purè contempletur.

Videant nunc illi, qui nec quidem statum modi supernaturalis in exer-

citio diuini amoris attigerunt, quam miserè delirent; dum superficiali negatione, ita omnia transcendunt; vt conceptum positium, aut vitalem speciem, ne quidem admittant, magisque eligant continuam negationem, quousque in obscurum otium, & nihilum, ex illis autem ad quoduis impertinens, aut immundum disfluant, vel etiam cum Lucifero in propriam complacentiam, Dei actuali consortio, ac vnione omninò vacuam, nudamque defleant. & idcò [si e nudo spiritu Deo aliquis adhæreat, & bonis imaginibus valefaciat, priusquam eas plenè agnoscat, stolidè quidem, & noxiè agit, quia veritas, quæ per quamlibet bonam imaginem innotuisset, cognitioni subtrahitur.] quam variè autem intellectus per diuinas quasdam imagines, & motus ad puras operationes deducatur, consequenter dicendum est, videlicet

De mystico motu circulari, recto, & obliquo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Non tantum nostris, sed etiam Angelicis contemplationis, tres assignantur motus spirituales; videlicet circularis, rectus, & obliquus; licet enim contemplatio tantum ad quietem pertineat, & motus quieti opponatur; hoc tamen solum [intelligitur de motibus corporalibus, & occupationibus exterioribus]

a S. Thom. 3. part. quest. 11. art. 2. ad 3. b Ibid art. 4. cap. c 3. part. quest. 11. art. 2. cap. d S. Dion. Epist. ad Tit. e Taul. Instit. cap. 35. f S. Thom. 2. 2. quest. 180 art. 6. & in cap. 4. de Diu. nom. sicut & alij commentat.

exterioribus: motus autem *a* intelligibilium operationum, ad ipsam quietem contemplationis pertinet.] Et quia horum motuum, in praxi quotidiana, penè alia, atque alia est eleuatio, vel depressio, intensio, vel remissio, non abs re fuerit, diuersa quædam de his motibus adducere.

Itaque [operatio intellectus *b* in qua contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur, secundum [quod *c* motus est actus perfecti.] quia verò [per sensibilia in *d* cognitionem intelligibilium deuenimus, operationes autem sensibiles sine motu non fiunt: indè est, quod etiam operationes intelligibiles quasi motus quidam describuntur, & secundum similitudinem diuersorum motuum, earum differentia assignatur.] cum etiam [in *e* motibus corporalibus, perfectiores, & primi sint locales,] [idè sub *f* eorum similitudine, potissimè operationes intelligibiles describuntur.] idque tripliciter. [quidam est circularis, *g* secundum quem aliquid mouetur vniformiter, circa idem centrum. Alius autem est rectus, secundum quem aliquid procedit ab vno in aliud. Tertius autem est obliquus, quasi compositus ex vtroque. Et idè in operationibus intelligibilibus id quod simpliciter habet vniformitatem, attribuitur motui circulari: operatio autem intelligibilis, secundum quam proceditur de vno in aliud, attribuitur motui

recto. operatio autem intelligibilis habens aliquid vniformitatis simul cum processu ad diuersa, attribuitur motui obliquo.]

Richardus porrò, eiusmodi motus, diuerso auium volatu explicat, [viuacitas intelligentiæ, inquit, in *b* contemplantis animo mira agilitate modò it, atque redit: modò se quasi in gyrum flectit: modò autem se quasi ad vnum colligit, & velut immobiliter figit. Huius sanè rei formam si rectè perpendimus, in cæli volatilibus quotidie videmus. videas alia nunc se ad altiora attollere: nunc se in inferiora demergere, & eosdem ascensionis, descensionisue suæ modos sæpius repetere. videas alia nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum diuertere: & nunc in hanc, nunc verò in aliam partem declinando, in anteriora parum, vel penè nihil se promouere, & easdem discursuum suorum vicissitudines multa instantia multipliciter reiterare. videas alia sub magna festinantia se in anteriora extendere: sed mox sub eadem celeritate in posteriora redire: & sæpè id ipsum agere, eosdemque excursus, atq; recursus diutina frequentatione continuare, atque protrahere. videre licet alia, quomodo se in gyrum flectunt, & quam subitò, vel quã sæpè eosdem, vel similes, nunc autem paulò latiores, nunc paulò contractiores circuitus repetunt, & semper in id ipsum redeunt. Videre licet alia, quo-

Zz

modo

a S. Thom. ib. ad 1. *b* 2. 2. q. 180. a. 6. c. *c* Arist. 3. de Ani. text. 28. tom. 2. *d* S. Th. l. 3. tex. 28. tom. 2. *e* Arist. 8. physic. tex. 57. *f* S. Th. l. 8. tex. 55. & 57. tom. 2. *g* S. Thom. Hic in c. ad ment. S. Dion. de Diu. nom. c. 4. h l. 1. de Cont. c. 5.

modo tremulis alis, sæpèque reuerberatis, se in vno eodemq; loco diutiùs suspendunt, & mobili se agitatione quasi immobiliter figunt: & ab eodem suspensionis suæ loco, diu, multumque herentia penitus non recedunt, ac si operis, & instantiæ suæ executione profusus videantur exclamare, & dicere: bonum est nos hic esse.]

Iuxta hoc sanè [propositarum *a* similitudinum exemplar contemplationis nostræ volatus multiformiter variatur, & personarum, negotiorumque varietate vario modo formatur. Nunc de inferioribus ad summa, nunc de superioribus ad ima ascendit, & descendit: & nunc de parte ad totum, nunc de toto ad partem considerationis suæ agilitate discurret: & ad id, quod sciri oportet, nunc à maiori, nunc à minori argumentum trahit. modò autem in hanc, modò in oppositam partem diuertit, & contrariorum notitiam ex contrariorum scientia elicit: & pro vario oppositorum modo ratiocinationis suæ executionem variare consuevit. aliquandò in anteriora currit: & subito in posteriora redit: dum modò ex effectibus, modò ex causis, & qualibuscunq; antecedentibus, vel consequentibus cuiuslibet rei modum, vel qualitatem deprehendit. quandoq; verò quasi in gyrum speculationis nostræ ducitur, dum vnicuiq; rei quæ sint cum multis communia considerantur: dum ad vnam quamlibet rem determinandam, nunc à similibus, nunc à

similiter se habentibus, seu communiter accidentibus ratio trahitur, & assignatur. Tunc autem in vno eodemque loco considerationis nostræ defixio, quasi immobilis sistitur, quando in qualiscunq; rei esse, vel proprietate perspicienda, atque miranda, contemplantis intentio libenter immoratur.]

Et licet [sacer Dionysius Richardo multò sufficientius, & subtilius motum contemplationis descripserit; illæ tamè diuersitates *b* motuum, quæ accipiuntur secundum differentiam eius, quod est sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum, ante, & retro, & secundum diuersos circuitus, omnes *c* continentur sub motu recto obliquo. nam per omnes designatur discursus rationis. Quod quidem si sit à genere ad speciem, vel à toto ad partem, erit (vt ipse exponit *d*) secundum sursum & deorsum. si verò sit ab vno oppositorum in aliud, erit secundum dextrorsum, & sinistrorsum. si verò sit à causis in effectus, erit ante, & retro. si verò sit secundum accidentia, quæ circumstant rem propinquam, vel remotam, erit circuitus. Discursus autem rationis, quando est à sensibilibus ad intelligibilia, secundum ordinem naturalis rationis, pertinet ad motum rectum. Quando autem est secundum illuminationes diuinas, pertinet ad motum obliquum: vt ex dictis patet. *e* sola autem immobilitas quam ponit, pertinet ad motum circum-

a Rich. *ibid* *b* S. Thom. 2. 2. q. 180. a. 6. ad 3. *c* Idem ad 3. *d* loc. cit. in Argum. *e* in solut. ad 2. locis in Argum. 1. & 2. cit.

Quin imò similes (Deo tamen dignos) motus, à Deo, & in Deo fieri Gregorius quoque testatur: [Ipse *a* inquit, scilicet Deus, manet intra omnia, & extra omnia, ipse supra omnia, & infra omnia: superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans: nec alia parte superior, alia inferior: aut alia parte exterior, alia interior: sed vnus & idem, totus vbiq; præsidendo sustinens, & sustinendo præsidens: circumdando penetrans, & penetrando circumdans.]

Simili quoq; modo in amoris diuini exercitio, [est mirus quidam intellectualis circulus in circulo. nam & ipse Deus spontè se spiritui *b* comprehensibilem reddit, dum se illius capacitati in supernaturali quadam contemplabili luce temperat, seque per contemplationem in intellectuali illo circulo, id est, in circulari, siue ambiente spiritus capacitare, comprehendi sinit. est præterea Deus ipse verus, immensus, ac interminabilis circulus qui amplissimum hominis spiritum, (qui in sua comprehensione cælo, terraque latior est) in se velut punctum includit. qui tamen spiritus ad illius maximæ, ac incomprehensibilis immensitatis Dei comparationem, ita paruus censetur, & exiguus, vt vix aliquid dici possit.] Et quia [contemplatio *c* magnificat charitatem, vt sit maior ex ijs quæ in intellectu vidit, dein ex maiori amore fiat maior cogni-

tio:] hinc in actione cognitionis, & amoris est quidam circulus. quod autem horum motuum resultent in imaginatione similitudines, tanquam vestigia, & impressiones summæ, & abstractissimæ intelligentiæ, & actionis mentalis, ex eo prouenit, quod [forma *d* nobilissima in inferioribus sit anima, quæ maximè accedit ad similitudinem principij motus cæli: vndè & motus ipsam consequens, simillimus est motui cæli. sic enim est motus cordis in animali; sicut motus cæli in mundo.]

Iam verò obseruandum venit, quod, quotiescunque ordinario modo, & per operationes intellectus agentis proceditur; ita vt paulatim, & moderato progressu supra omnia quæ sunt, & quæ non sunt, pertingi possit; toties hoc ipsum mediante vno trium motuum dictorum fieri. & quidem ad facilem intellectum, & practicum exercitium consequendum, sciendum est, quod quamdiu indagamus, discernimus, & quouis modo siue sursum, siue deorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum, antrorsum, vel retrorsum, ad Pulchrum & Bonum tendimus: tam diu motu obliquo, & indirectè adhuc feramur tanquam ad bonum nobis in exercitio actus nondum sufficienter vnitum. quoties autem illud actu apprehendimus, toties recto motu, absq; ambage in instanti illi coniungamur: quoties verò in instanti apprehensum per actualement bene-afficientiam nobis manet; toties motu circulari per continuationem fruitionis, in circumuolu-

ZZ 2

tione

a S. Greg. lib. 2. Moral. c. 12. *b* Taul. Instit. c. 12. *c* S. Th. 2. 2 q. 180. a. 1. *d* S. Th. opusc. 35.

tione boni, & pulchri, alatur & viuamus.

Recogitent itaq; etiam nunc (si placuerit) illi, qui per nudam auersionem eorum quæ Deus non sunt, & conuersionem quandam generalem, seu primo obiectam, ilicò Deum, seu potius obsecurum quoddam phantasma, (quoad usque tandem, ab ipso ad impertinens, si nõ nocens dilapsi fuerint) sibi fixum, firmumque statuunt: an ilicò & antequam nouerint, num sursum, vel deorsum, ante, vel retro, sinistrorsum, vel dextrorsum, circulari, vel obliquo, seu recto motu, eundem sit; ad veram, & realem fruitionem contingere possint, absque specie à Deo infusa, aut commotione voluntatis immediatè à Deo excitata. hæc autem infusio & commotio sicut rariùs contingit, & eminentiorem statum, quam ipsi consecuti sint, decet; ita quoque homines à vita arcani amoris adhuc longè distantes, & obscuris phantasijis delusos, quàm maxime dedecet. vt autem constet quàm ordinato progressu charitas per hosce tres motus continuo magis radicetur, consequenter dicimus,

Eiusmodi motuum multiplicatione, digeri usum habitus, ad sequentem perfectius in charitate radicandum, per statum Transformationis, modi ascendentis.

ARTICVLVS OCTAVVS.

[Am verò, cum [charitas possit a augeri tota vita,] varijs hisce motibus,

ipsa [fruitio, quæ ad virtutem b appetituum pertinet,] quadam insatiabilitate, ac motuum, actuumque perfectorum successione, & formatur, & alitur, in spiritu; purè, & supernaturali, ac à sensibilibus superexaltato modo: in parte inferiori autem ad practicum ordinem, ad minima quæq; ceu ad particulas diuinæ sapientiæ, & vestigia, motu admodum ordinato, in successiuis sphaeris, circulis, seu spiritualibus regionibus dimittitur ad degustandas quatuor illas c diuinitatis dimensiones; scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi: vt iterum in centro, seu puncto latitudinis intensiorem radicationem in charitate, per similes quatuor diuinitatis inactiones amplificet, digeratque. [subiectum enim d charitatis de illa magis, ac magis participans: in illius actum magis reducitur, eiq; subditur.]

Ac tum sic est regnum e Dei, quem admodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increseat, dū nescit ille; quousq; tandem post insignem spiritualem progressum, f multiplicatis eiusmodi diuersis dimensionibus, & motibus; ad subsequenter statum transformationis, scil. modi ascendentis, profundius in charitate radicatum, & altius in dono sapientiæ eleuatū, transeat. quod vt fiat, priusquam dicatur; oportet hic consequenter de diuinis similitudinibus, pro vt modum supernaturaliter operandi perfectius attingunt, nonnulla tractare.

DE

a s. Th. 22. q. 24. a. 4. c. b 1. 2. q. 11. a. 1. c. c hica. s. d 2. 2. q. 24. a. 5. c. e Mar. 4. finf. Dic. 2. a. 4.

DE OPERATIONIBVS SVPER-
NATVRALIBVS VERBI MYSTICI, QVANTVM
AD MODVM FORMATIONIS EX DIVERSIS
SPECIEBVS.

DECISIO QUINTA.

DE operationibus supernaturalibus, prout in imaginatione, & infimo spiritus ceu vestigia, particulæ, & interpretes diuinæ sapientiæ in dimensiones qualdam resultant, cum iam dictum a sit; oportet modò de iisdem, pro vt in perfectiori potentia, in intellectu scilicet agente, in species intelligibiles, in intellectu autem patiente, in verba mystica formantur, breuiter agere, *Et quidem primò*

Verborum mysticorum tres esse species, scilicet expressas, resultantes & infusas.

II. *Species mysticas expressas oriri ex voluntate, prout voluntas intellectum precedit triplici respectu.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Verborum mysticorum tres esse species, scilicet expressas, resultantes, & infusas.

PRincipio itaq; sciendum est, quod [Deus b inspirando nõ exhibeat essentiam suam ad videndũ, sed aliquod essentiæ suæ signum, quod est aliqua spiritualis similitudo suæ sapientiæ;] & [species e intelligibilis, quæ sit forma intellectus, & intelligendi principium.] quæ dein à phantasmatis abstracta, se habeat ad intellectum, vt id quo intelligit intellectus, non autem id quod in-

telligitur, nisi secundariò. res enim [d cuius species intelligibilis est similitudo, est id quod primò intelligitur:] cum etiam [intellectus singulas res e per singulas species proprias cognoscat,] & [intelligere nostrũ indigeat specie finitelligibili propria, & ei coæquata, vt habeat similitudinem eius quod intelligit;] ordinatè specierũ diuersitas ponenda est. & harũ in arcano amore tres inueniuntur. Prima est species expressa, quando videlicet intellectus agens abstrahendo à rebus sensibilibus format similitudinem, seu speciem intelligibilem, per operationem sibi propriam. vt illa

Zz 3

dein

a supra Dec. 4. b S. Thom. de verit. q. 18 a. 3. c lib. 1. cont. Gent. c. 1. d 1. p. q. 85. a. 2. c. e lib. 1. cont. Gent. c. 71. f l. 2. cont. Gent. c. 98.

dein in intellectu patiente perficiatur in verbum mentis. & ideo intellectus agens *a* luci assimilatur, eò quod faciat intelligibilia in actu: sicut lux quodammodo visibilia facit in actu.] cum autem intelligere nostrum indigeat specie intelligibili propria, & ei coæquata, vt habeat similitudinem eius quod intelligit, sic est *b* infimum in intellectualibus substantijs.] & hæ species scilicet expressæ ordinatio naturæ cursu, habent adiunctam phantasiam, vel seruientem vel concomitantem: nam oportet [*c* contemplantem phantasmata speculari,] quoadusque nimirum pertingat ad notitiam intellectu rationali *d* superioriorem. interea verò licet dictæ species expressæ, seruientem, vel concomitantem habeant phantasiam; sunt tamen bonæ, & vtilis, in amoris diuini exercitio, & [causa delectationis, quia bonum *e* conueniens aliquo modo præsens constituunt.]

Secunda verò est species resultans scilicet in intellectu passiuo. [species enim alicuius rei inuenitur in alio dupliciter, *f* vno modo sicut præexistens ante rem cuius est species, alio modo sicut à re ipsa resultans.] quando scilicet intellectus prius à voluntate suppressus, tandem feruore excedente remisso; ideam, speciem, vel similitudinem recipit, illius supersplendentis, & quodammodo excoecantis boni: quod quidem bonum,

lumen mentis est. & per hanc speciem verbum Agalmatis formari diximus *g* infra; eò quod sit pulcherrima, quæ in hac vita; (citra species infusas, raptus, aut ecstases) suscipi possit. est insuper huiusmodi speciei lumen, propè accedens ad lumen *h* gloriæ, & mystico propria formatione inaccessible; nisi postquam intellectu cessante, suauis amoris excessu diuinæ naturæ consortio vnitus, ac tandem intellectus patiens restitutus fuerit: & tum dictæ speciei resultantia, licet nunquam fallat, à nemine tamen, nisi qui eminenti modo amoris suauem excessum subierit, inuenitur, aut agnoscitur; cum sit imago bonitatis illius, quæ in amoris profundo supra omnes intellectus operationes, Deo magis operante, & mystico autem magis patiente, communicatur. & tum [mens nostra immediatè *i* ab ipsa veritate formatur;] quam intellectus patiens in se reperit, postquam amoris excessus tantillum remiserit, vt & ipse superexcellenter suæ pulchritudinis particeps fiat. Vnde licet intellectus agens hoc loco nihil ad resultantiam speciei Agalmatis cooperetur, tanquam illius ad illuminandum nullam speciem habens, suamque actiuitatem longè superexcedens; diuina tamen hæc species vti imago in speculo, [in intellectu patiente *m* resultat,] vt vestigium, seu impressio relicta, ab opessione maiestatis à gloria: quo ita intel-

a Aristot. 3. de Anim. text. 18. *b* S. Thom. l. 2. cont. Gent. c. 98. *c* Aristot. d. Inf. dec. 6. n. 10. *e* 1. 2. quest. 32. art. 3. c. *f* De Proph. quest. 12. art. 6. c. *g* Dec. 6. art. 17. *h* ibid. art. 19. *i* vt inf. dec. 6. art. 15. & dec. 7. art. 2. *k* inf. dec. 6. art. 13. *l* S. Bonauent. itin. ment. c. 5. *m* Ioan. à Cruic. ascen. mont. l. 2. c. 32.

[intellectus *a* (scilicet patiens) intelligat per formam quam penes se habet.]

Tertia autem est species à Deo infusa, seu impressa. quando scilicet mysticus ex diuina benignitate, extraordinario modo, quam sit donorum, & habituum supernaturalium, Deo vnitur. & ex [*b* perfectione gratiæ, non ex visibilibus creaturis, sed per inspirationem internam, ex irradiatione diuinæ sapientiæ, & ex quadam similitudine suæ menti impressa, Deum cognoscit;] uti in statu innocentia; Est autem species per se infusa talis naturæ, & conditionis; ut ad vsum, & exercitium ipsi non opus sit conuersione ad phantasmata: cum [per *c* sensus comparari nequeat, nec cum phantasmatis affinitatem habeat.] vnde etiam nullo humano intellectui debetur; à nullo intellectu agente, quamuis perfectissimo, vel ex phantasmate, vel aliundè educi potest. intellectus tamen patiens, illam quam maximè postulat, & appetit; utpotè summè abstractam, intelligibilem, & luminis gloriæ vices supplementem: sicut enim species infusæ per se, & ex natura sua petunt abstrahi à formis sensibilibus; ita quoque & recipi, & in intellectu patiente, ut in proprio loco in verbum mentis perfici desiderant. quãuis ergò species infusæ, nec ex phantasmate educantur, nec ab intellectu agente intelligibiles videantur, cum ab

agente non porrigantur: [diuina *d* tamen species est effectrix speciei, in ijs quæ specie carent, ut speciei principium;] ita tamen ut licet [species *e* infusæ sint per se ipsas propriæ, & quidditatiuæ rerum, repræsentantes eas sicut reuera sunt,] & intuitiuam animæ cognitionem, quantumcunque præcella videatur, constituent; non tamen [propriè *f* Deum repræsentent, sed tantum mensuram humanæ comprehensibilitatis, & intelligentiæ;] [Deus enim mouet intellectum creatum, & dando ei virtutem ad intelligendum, & imprimendo *g* species intelligibiles, quibus actu intelligat.] nam [intellectus non potest intelligere nisi secundum quod fit actu per hanc *h* similitudinem, sicut nihil aliud potest operari secundum quod est tantum in potentia; sed secundum quod fit actu per aliquam formam;] qua scilicet [Deus *i* se fingit ad imaginem menti contemplandam.]

Iam verò cum verba mystica inter se, secundum *k* has species, earumque maiorem, vel minorem, perfectionem differant, pro vsu practico, aliter, atque aliter formabiles inueniuntur. & quidem species expressæ, cum inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellectu, repræsentent; iuxta infinitatem eorum quæ sunt, & quæ non sunt, vel esse possunt, innumerabiles censentur. & [de nouo *l* adueniunt ex intellectu agente,] in vitali

diui-

a S. Thom. l. 2. cont. Gent. c. 49. b S. Thom. de verit. quæst. 18. art. 2. c 3. p. q. 11. art. 2. & q. 3. art. 2. ad 3. eadem Dionys. Carthus. d S. Dionys. de diuin. nom. c. 2. e S. Thom. 3. p. q. 9. art. 2. ad 3. f Harph. l. 3. p. 3. c. 23. g S. Thom. 1. q. 105. a. 3. c. h S. Thom. opusc. 53. de intellectu & intellig. i S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. k ut hic art. 2. l S. Thom. l. 2. cont. Gent. c. 84.

diuino affici, seu vsu doni sapientiæ fundata, ac speciem suam elicente; resultantes verò (seu Agalmatis) quando post excessum amoris, intellectus restituitur, pro eo Nunc nunquam desunt, semperque ex natura dispositionis huius amoris resultant; in tantum, vt licet à prima puritate deficiant, & diuino amore præstans animus, ad inferiores, ratione, aut etiam imaginatione, vestitas operationes, dimissus fuerit; adhuc tamen concomitantes illæ de iam habito amore reliquæ cogitationis diem festum agant, efficacius moueant, ac magis clarè videre faciant, quam si per alia media extrinsecus incidissent. at species infusæ illius sunt puritatis, vt Deo magis, quam contemplanti sint notæ; cum in eo Nunc, quo ab anima aliqua accesserit earum notitia, à prima puritate iam defecerint, & quidem hæ species à Deo infusæ, non sunt ita frequentes, sicut species per habitum charitatis, modo supernaturali, seu absque phantasmate, & discursu faciliter formata. [Diuina a siquidem virtus, in animam species intelligibiles imprimit quandoque.] ergò non semper aut ad libitum. vndè etiam mysticis documentis non subiiciuntur; sed à gratuita Dei benignitate ad actum transeuntem, à Deo immediatè dependent. iam verò cum circa species b resultantes, & infusas nulla singularis intercurrat difficultas; resultantes enim semper eueniunt, cum post amoris excessum intellectus suis functionibus restituitur; infusæ etiam infallibiter suum

præstant: hinc consequenter circa species expressas (quod quidem ad praxin quam maximè scitu necessarium est) paulò fufius inquirendum erit, & dicendum,

Species mysticas expressas, oriri ex voluntate, pro vt voluntas intellectum præcedit triplici respectu.

ARTICVLVS SECVDVS.

Solennem illam scholasticorum, contra mysticos disceptationem, de eo quod voluntas intellectum præcedat; non tam nostri instituti est decidere, quam quod ad practicam facilitatem tendit, clarum reddere. Ante omnia verò diligenter considerandum venit; primò in supernaturali modo amandi, (de quo duntaxat hoc loco nobis est disquisitio) species mysticas in voluntatis bene-afficientia fundari, & radicari. Secundò nos non dicere voluntatem intellectum præcedere, quando intellectus intendit aliquam conceptionem intellectualem formare, seu verbum mentis pronuntiare; tunc enim intellectus agens incipit à rebus sensibilibus ad intelligibilia, ordinario, & conaturali modo procedendi, quo ita voluntas excitata, & illuminata possit moueri: tali ergo progressu seruato, qui alitererit voluntatem intellectum præcedere, indubiè absurdum diceret.

His igitur præmissis, dicimus species mysticas oriri ex voluntate, & voluntatem

a Caiet. in 2. 2. q. 173. a. 3. b de quibus latius inf. Decif. 6. art. 17.

tem intellectum præcedere, idque triplici respectu, seu modo: Primò quidem per habitum charitatis, non pro vt confert gratiam gratum facientem, seu ius ad vitam æternam; sed pro vt per donum sapientiæ dat vsum, & fruitionem diuinæ naturæ, & post essentiam animæ ipsam voluntatē vitaliter beneafficit; non secus ac [peccatum a originale prius est in essentia animæ,] per modum carentiæ, & defectus boni conuenientis; dein per prius voluntatem, quam intellectum vitaliter malè afficit [b fomite peccati, concupiscentia,] & cæteris eiusmodi inclinationibus vitiat. in animo itaque gratia sanato, [prima e mentis ad diuina motio, & contentio, Dei est charitas: sanctæ autem charitatis progressus, qui principatum obtinet ad diuina perficienda præcepta, est diuini in nobis status, quæ verbis exprimi non potest, effectio. diuinus enim status diuino ortu, & vt ita dicam, generatione efficitur.] quando videlicet] contemplationis d emanationum, ipsum Bonum est principalissimum fundamentum] & [ad ipsam visionem prius principij, scilicet Dei, incitat e amor ipsius.]

Obseruandum insuper est, hanc primam voluntatis præcedentiam, non profluere ex verbo aliquo mentis, & prius ab intellectu formato, & dein intellectum excedente, pro vt fit in se-

cunda hæc præcedentia; sed tantum præcedere, vt id, [vndè cognitio f concipitur] seu vt à quo, verbum mysticum formare incipit intellectus agens; ita vt sicut peccatum originale est principium, & vitalis origo, vt ab ipsa vitaliter exeant cogitationes malæ; homicidia, furta, adulteria, & alia innumera mala: ita etiam [sapientia g pro vt est donum Spiritus sancti, & charitatem præsupponit;] [b causam, nimirum charitatem, habeat in voluntate.] & quum gratia mystica modi supernaturalis, per modum habitus maximè doni sapientiæ, i ad vsum, & fruitionem in Nunc præsentis, vitaliter beneafficiat, & [Deus velut k vita animæ nostræ sit:] eo principio mysticus omni instanti in ipsa voluntate habet, vndè intellectus agens mysticas species formare, & intellectus patiens verbum bonum, & diuinæ naturæ communionem, pronuntiare possit. non secus ac homo peruersus, ex malo originalis iniustitiæ continuò inclinationes, & machinationes vitiosas apud se fabricat. species autem modi supernaturalis, ordinariè non aliundè, quam ex ipsa voluntate vitaliter consortio diuinæ naturæ perfusa, accipi; & quousque ipsa voluntas sic vitaliter sit excitata, non nisi imperfecta, & præambuli verba formari, & dici, præter ea quæ ex his positis colliguntur, latius infra / dictum est.

A a a

Secun-

a S. Thom. 1. 2. quæst. 83. art. 2. & art. 3. c. b 1. 2. quæst. 83. art. 3. c. S. Dionys. de Eccles. Hierar. c. 2. d S. Bonauent. itin. ment. c. 6. e S. Thom. 2. 2. quæst. 180. art. 1 ad 2. f de ment. quæst. 10 a. 9. c. g 2. 2. quæst. 45. art. 4. 5. h ibid. a. 1. c. i sup. dec. 4. art. 1. & S. Thom. opusc. 61. l dec. 6. art. 2. 3. 4. 5. & 6.

Secundò verò dicimus, voluntatem præcedere intellectum; quando intellectus, & amor simul gradiuntur; & intellectus cõtinuò obiectiuè mouet voluntatem, & tandem amor sui præstantia intellectum excedit; Deus autem amoris inactione magis est operans, mysticus verò patiens; quod fit, quando amor intellectum excedens, mentemq; deserens, in perfectissimo modo *a* accipiendi, Deo fruitur. eo autem finito, sibi ipsi nondum aliter restituitur; quam ut à consortio diuinæ naturæ resultantem speciem in Nunc præteritæ, & excessiuæ voionis deficientia, recipiat, ad formandum verbum illius superexcedentis amoris; quod verbum Agalma diximus infra, *b* & ita [patet plane *v* quod actus dilectionis excellit, & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. in quantum autem eum excellit, in tantum eum excedit, attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non potest, quia superintelectualis est saltem in hac vita, quia in patria videbimus Deum sicuti est.]

Tertiò autem dicimus voluntatem intellectum præcedere, quando eleuatur voluntas ad verum Dei amorem vitalem, & actualem, voluntate non excitata, neque obiectiuè mota per intellectum; sed immediatè à Spiritu sancto: hoc autem non *d* impossibile; sed

per Dei gratiam, & modum supernaturalem facillimum esse, colligitur, primò. quia [potentiæ intellectus, & voluntatis sunt *e* realiter à se distinctæ.] ergò vna sine alterius iniuria potest aliquid suscipere, saltem modò supernaturali. Secundò, quia [Deus potest producere affectus causarum secundarum absque ipsis *f* causis secundis.] Tertiò, quia quando Deus repræsentat bonum ut apprehensum, & causam appetitiui motus, non est necesse habere apprehensionem, seu cognitionem, [ut alioquin & ordinario *g* cursu] ut causam amoris.

Quartò, quia [multa requiruntur ad perfectionem *h* cognitionis, quæ non requiruntur ad perfectionem amoris:] [voluntas enim mouetur ab intellectu tantum quo ad specificationem *i* actus, non autem quo ad exercitium actus:] & [penitiùs *k* voluntas, quam intellectus Deo coniungitur:] ex vniuersali insuper scholasticorum consensu, charitas diuina in hoc potissimum cæteris virtutibus, etiam Theologicis antecedit, quod ipsum Deum per se attingat, ceteræ autem ad eum per interiectas res proferantur; vñdè non est quod ita peregrinum videatur, Deum mouere voluntatem, absque omni præuio intellectu; qui scilicet talem motum causet, præsertim quòd nemo illorum qui tam præstanti modo diuina experitur, dicat, se fuit.

a Dec. 6. art. 15. *b* Dec. 6. art. 17. *c* S. Bonau. Itin. 5. Ætern. d. 5. ex Wercell. & Linc. *d* Contra Suares. de Relig. t. 2. l. 2. tr. 4. c. 13. *e* S. Thom. 1. p. q. 59. art. 2. c. *f* Et Thomista communiter. *g* S. Thom. 1. 2. quæst. 51. art. 4. c. *h* 1. 2. q. 27. art. 2. ad 2. *i* Ibid. quæst. 9. 8. art. 1. *k* Calag. Theol. myst. c. 1.

se fuisse extra intellectum, aut memoriam, instar trunci alicuius, quando vitalem motionem voluntatis sensit in se excitari: imò contrarium dicunt, fieri scilicet inter *a* legendum, scribendum, aut dum aliud quidpiam agitur. licet de tali amoris excitatione in centro voluntatis, minimè *b* cogitetur. atque idè non excluditur cognitio, aut memoria vt desit necessario, experientia, aut recordatio. ipso enim instanti quo voluntas eleuatur ad verum Dei amorem vitalem, & actualem, non excitata, neque obiectiuè mota per intellectum, sed immediatè à Spiritu sancto: sicut sciunt se legere, scribere, aut aliud quidpiam facere, ita sciunt, recordantur, ac sentiunt, eiusmodi vitalem motum in voluntate excitari supernaturali gratia, & modo, absque omni præuio intellectu, scilicet ad talem actum eliciendum, proximè directo. faciliat etiam hanc præcedentiam voluntatis, quod [perfectio appetitus *c* amoris non exigat tot cognitiones boni, sed prima sufficiat illi: scilicet quod bonum secundum se apprehendatur, quoniam appetitus ad bonum vt est, tendit. nimirum quia bonum perficit appetitum, secundum quod inuenitur in rerum natura: apprehensionem autem secundum intellectus negotiationem; idè amor potest esse perfectus cognitione existente imperfecta: sat enim est appetitui re-

presentatio illius boni, quæ non sufficit intellectui:] Quintò quia si quis sentiret [*d* potentias animæ non esse qualitates distinctas ab essentia animæ; sed ipsam essentiam animæ, quatenus per se vim habet in se producendi varios actus, subire rationem multiplicis potentia;] illi nulla prorsus foret de voluntatis (sine intellectu) actuatione difficultas; imò magna facilitate sese in multis difficultatibus explicaret mysticus.

Iam mysticos Doctores tam sanctitate, quam praxi, ingenio, & scholastica disciplina eminentes, audiamus. Sanctus Augustinus [sensi, ait, *e* quiddam in me, resplendens animæ meæ: quod si perficeretur in me, dicere non dubitarem, id vitam esse æternam: occultat se, & nihilominus manifestat se: furtiuè venit, quasi omnia animæ furaturum, ablaturumquæ: manifestat se, & indicat ex parte, vt per hoc animam alliciat, prouocet, & post se trahat, imò & auferat sibi ipsi.]

Sanctus Bernardus [fateor, finquit, & mihi aduentasse verbum, & pluries, cumquæ sapius intrauerit ad me, non sensi: aliquoties cum intrauerit, adesse sensi, adfuisse recordor, interdum, & præsentire potui introitum eius, sentire nunquam, sed ne exitum quidem, nam vnde in animam meam venerit, quovè abierit, denuo eam dimittens, sed &

A a a 2 qua,

a Ioan. à Cruc. Explan. Cant. 17. & Ascens. mont. c. 26. & *b* Barbanson. de occult. semit. p. 2. c. 13. *c* Caiet. 1. 2. quæst. 27. art. 2. *d* Scot. in 2. sent. d. 16. & Gerson Theol. myst. spec. conf. 9. *e* Apud Tauler. Domin. post Natiu. serm. 1. *f* Sermon. 74. in Cant.

qua, vel introierit], vel exierit etiam ignotare me fateor, secundum illud: Nescis unde veniat, aut quo vadat; nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est, & vestigia tua non cognoscuntur, &c. Ita igitur intrans ad me aliquoties verbum sponsus, nullis unquam introitum suum indicijs innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu, &c.]

Sanctus Bonaventura [*a* nonnunquam, ait, quasi clausis oculis bone IESU ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit,] quia nimirum [ille verus amor qui est Spiritus sanctus tertia *b* persona in diuinis, & vltima respectu ordinis personarum, nobis est propinquior, & prima in consurrectione affectiua in Deum. unde ipse Spiritus sanctus per ignem amoris tangit, & inflamat supremum affectiua apicem, & indicibiliter sine omni cogitatione, vel rationis discretionem ad ad se trahit. vnde sicut lapis suo pondere trahitur, & fertur naturaliter ad suum centrum inferius, sic apex affectus suo pondere, & directione immediatè, & sine aliqua obliquatione absque omni prauia, vel concomitante cogitatione, sursum fertur in Deum. vnde illa potentia, quæ est affectus, & supremum in hominis spiritu, Spiritui sancto mediante amoris vinculo est vniuersalis.]

Ioannes à Cruce [tactu, *c* inquit, delicatissimo dilectus animam nonnun-

quam contrectat, etiam tunc cum minus ipsa cogitat, adeo vt cor eius amoris igne ita succendat, vt scintilla ab igne emissa, videatur animam absumpsisse.] est autem [voluntas *d* in qua fit hic tactus:] etiam [siue distincta & praua notitia, prout experti sunt multi spirituales.] [anima tamen ad similia non debet conari, sed se Deo committere, ad perficiendum suum opus quando voluerit.]

Harpius. [mirabilis, *g* ait, & occulta sapientia, vnitua, sine omni meditatione, & inuestigatione praua, amantem affectum sursum trahit: quia spiritus rationalis à Deo recipit influentiam, primò, & principaliter, in quantum est ipsi affiniore, sed affectus per amorem dispositus, est supremus in spiritu rationali, & per consequens increato spiritui propinquior. Hic primò tangitur apex affectus à Deo per immisionem igniti amoris in spiritu, tanquam Deo propinquior, antequam apprehendat eum intellectus: qui est multò plus à supremo Creatore distantior, quam affectus. quare multò excellentior, amabiliore, & ad obtinendum dilectum faciliore est ardor amoris. Primumque conscendit ad dilectum tangendum, osculandum & amplexandum: sicut à simili, ordo Seraphin, qui interpretatur ardens, est Deo viciniore quam Cherubin, ac per consequens vberius, perfectius, & prius influentiam à Deo recipit, quam Cherubin, qui interpretatur plenitudo

a Solil. c. 2. ex Bern. *b* Auctor Theol. myst. apud S. Bonau. q. vn. in fine. *c* Explan. Cant. 17. & ascens. mont. l. 2. c. 26. *d* Ibid. *e* Ibid. Cant. 18. *f* Idem Ascens. mont. l. 2. c. 26. gl. 3. p. 1. c. 8.

scientiæ.] at Barbanfonijs noster vitalem motionem sine omni prævio intellectu (ad voluntatem eo tempore excitandam directo) à Deo admirabili, sibi que familiaribus amicis, digno, & peculiari modo fieri, expressè, latè, & verissimè *a* docet. & ita quidem incogitantè hoc fieri, vt ilicò ad eiusmodi vitalem voluntatis excitationem, calamus ex manu labatur, loquela, & vires deficient. imò intellectum restitutum de mirari, vndè talia in centrum voluntatis venerint, cum per se non transferint. hæc autem sibi contigisse, ex ore ipsiusmet Patris nostri Constantini Barbanfonijs (beata memoria digni) accepimus, cum de mysticis pro mutua familiaritate, secretius ageremus.

Sunt porrò eiusmodi in voluntatem absque prævio eo directo intellectus actu, à Deo excitatæ commotiones, ceu arrhæ quædam, & familiaritatis diuinæ specialissima dona, ac munera, extraordinario modo diuino amori vnientia. nam [secundum *b* virtutè motam à Spiritu Sancto immediatè est multò maior de Deo cognitio, quam per omnem intellectum, vel rationem inuestigando. Vndè primum tangitur supremus apex affectus, secundum quem mouetur per ardorem in Deum, & existo contactu relinquitur in mente verissima cognitio intellectus, nam illud solum quod sentit de diuinis, verissimè apprehendit intellectus.] scilicet post-

quam ab excessu istius amoris ad operandum à suspensione suorum actuum restitutus fuerit, & verbum Agalmatis formauerit, vt hic in secunda acceptione dictum *c* est.

Pientiores itaque scholastici, cum intelligerent viros tum doctrina, tum sanctitate, & singulariter arcano amore, se præstantiores; asserere voluntatem vitaliter quandoque à Deo, absque omni prævio intellectu (ad talem excitationem directo) moueri, & alia quæ ipsorum intellectum excederent; piè, & humiliter de ipsorum dictis sentiendum esse duxerunt: quo ita pro reuerentia accederet illis bona gratia. vt supra *d* dictum est. quid autem de Suarezio huic sententiæ sese *e* mordicè opponente, dicendum sit, ad iudicium viri, diuino animo præstantis, & in arcano amore multifariò, ac multis modis exercitati; nec non in sacra doctrina eximiè versati, remittimus. & hæc quidem cum originem specierum, (quæ ad realem, & vitalem operationem formandam, aut suscipiendam, necessaria sunt) tantum respiciant, consequenter modo explicandum est, vt operationes singulares, ipsam actualem cum Deo fruitionem (per successiuas intimioresque inactiones) continuent, renouent, perficiantque.

DE

a De occult. semit. p. 2. c. 13. *b* S. Bonau. 2. tom. opusc. tract. de myst. Theolog. c. 6. inf. Dec. 6. a. 17. *d* Dec. 1. a. 5. *e* De Relig. t. 2. l. 2. t. 4. c. 13.

DE OPERATIONIBVS SVPER-
NATVRALIBVS VERBI MYSTICI
QVANTVM AD HIC ET NVNC.

DECISIO SEXTA.

TAmetsi in quolibet statu, (sive ex actu infuso, sive elicito) toties quoties anima ad conceptum Dei exprimendum, seu ad fruitionem continuandam pertingit, operationes instantaneæ, & verba mystica, Hic, & Nunc, plena realitate, etiam ipso mystico se desuper non reflectente, proferantur: de illis tamen, eo quo hic, accurato ordine, citius dici non debuit. ea maximè de causa, quod nemo in mysticis instructionibus constanter, & reali benefici & intelligere, gustum capiat; nisi de ijs, quæ sibi iam penè naturalia, sui iuris, & ad iucundum vsum præsto fuerint. Vndè sicut indoctus, licet in suis sermonibus, omnia plena sint argumentationibus, illationibus, & conclusionibus, non ideò tamen exactam, & scientificam habet syllogizandi rationem; quousque, & ingenio, & exercitio eam addiscat. ita quoque in particulari, & omnimoda Dei fruitione accidit; in tantum vt quamvis in suis modis, institutis & operationibus, ex parte rei perfectæ sint dispositiones; non tamen possit mysticus industrius, perfectus, & planè iucundo modo, scienter, & securè Hic, & Nunc procedere, quousque in frequentibus exercitatus, propria experientia didicerit, quid sit in *a* absconditis Dei consiliari, & scire ea quæ à *b* Deo donata sunt nobis. hic ergo dicitur

- I. *Quomodo exercitium actus verbi mystici ad Hic & Nunc intelligendū sit.*
- II. *Quid sit Verbum mysticum.*
- III. *De imperfectis Verbis mysticis, prout sunt præambula ad verbum perfectū.*
- IV. *Quid, & quotuplex, sit Verbum mysticum perfectum.*
- V. *Ad formationem Verbi mystici perfecti, quatuor esse necessaria.*
- VI. *Quod Verbum mysticum formetur in instanti.*

VII.

a Eccl. 39. b 1. Cor. 2.

- VII. Quod hinc facilitas pronuntiandi verbum mysticum, oriatur.
- VIII. Per operationem successivam verborum mysticorum, continuari fruitionem ordinata, & perfecta quiete.
- IX. Adhuc enim mysticus patitur phantasmata concomitantia; licet non seruiantia.
- X. Quod nimirum sacra quedam imagines coadstent, quousq; mysticus assequatur conceptum quidditativum Essentia Divina in abstracto, seu quod Quid non est.
- XI. Quod finaliter in altiori (scilicet amativa) virtute, uniatur Divina Essentia, ut in se est.
- XII. Quod nimirum stante hoc amoroso voluntatis excessu, saltem coexistat in mente Divinum lumen intellectu superius.
- XIII. Quod hic Deus sit potissimum agens, mysticus autem patiens.
- XIV. Videlicet in hac passione esse silentium, quo mysticus se habet medio modo, via, & patria.
- XV. Tum demum mysticum esse in summo modo huius vite, non operandi, sed à Deo accipiendi.
- XVI. Hunc modum, si maneat cum libertate sensuum, non diu durare.
- XVII. Quod, cum suavis hic mentis excessus lumine formali ecstático non perficiatur, intellectus patiens suscipiat speciem resultantem ad perfectissimum verbum Agalmatis formandum.
- XVIII. Quod durante formatione verbi Agalmatis Mysticus secundum utramque potentiam adequatè, & optimo modo huius vite operandi, vivat supra affirmationem, & negationem.
- XIX. Quod eiusmodi adequata fruitio propriè accedat ad beatitudinẽ Patrie.
- XX. Quod quanto magis à tam perfecta operatione ad reflexas, medias, aut infimas species contemplatio dilabitur, tanto imperfectius quoque Divinitas representetur.
- XXI. Quod sint interim Mystico perfecto, omnia bona valde, siue suprema, siue media, siue infima sit operatio.
- XXII. Quod mysticus perfectus fruitionem facillimè reassumat per novam formationem verbi mystici, cuiuscunque speciei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo exercitium actus verbi mystici ad Hic, & Nunc intelligendum sit.

Nemo miretur nos ea, quæ in spiritu citissimè contingunt, accura-

tiore ordine, & declaratione longiore prosequi. quamvis enim operationes modi supernaturalis omnibus mobilibus mobiliore sint; & ab infimis per medias, vsque ad supremas perfectiones,

nes, iuxta conditiones donationum intellectus, vel sapientiæ, penetrent: ita ut vix aliquot passus conficere liceat, quin subinde mens & seruiens, & concomitantis phantasiæ usum deserat, seque super se eleuet, ac pondere amoris à propria actiuitate deprimatur; quousque efficacia arctissimæ vnionis remittente, intellectus denuò admittatur: hoc ipsum tamen ad illorum qui instruendi sunt, intelligendi modum, non ita paucis explicari potest, si quis accuratum, ordinatum, & ad Hic, & Nunc exercitium actus, omninò necessarium modum, consequi debeat.

Principio itaque diligenti memoria recondendum est; quod [omnia appetant esse actu, ^a quia esse actu rationem boni constituit: non actu, ratione mali, aut corruptionis. Jac etiam quantò perfectiùs visio, & amor in Nunc præsentis, & instanti actuantur, tantò etiã amplius de bono sibi proportionato participet; & quantò magis incerto, confuso, & generali modo procedunt, tantò minus de eo habeant, remissiusq; agant, & beneficiant. sic enim ea quæ ad Deum cognoscendum, & amandum faciunt, solùmmodò in continua quasi potentia manent. hinc etiam [intellectus *b* habitualis) seu qui est adhuc in potentia, & in fieri) non est vltimarè felix, sed quando est in actu.] cum etiã [instans *c* in toto tempore sit idem re, differens in ratione] magis videmur premi, ut quomodo exercitium actus ad Hic, & Nunc intel-

ligendum sit, exponamus.

Nostrum ergò Nunc operationis nõ accipiendum est secundum quod Nunc præteritum, præsens, vel instans cognoscitur. [cognoscere enim *d* præteritum ut præteritum, est eius, cuius est cognoscere præsens, ut præsens, vel Nunc ut Nunc; hoc autem est sensus. sicut enim intellectus non cognoscit singulare ut est hoc, sed secundum communem quandam rationem, ut in quantum est homo, vel albus, vel etiam particulare, non in quantum est hic homo, vel particulare hoc; ita etiam intellectus cognoscit præsens, & præteritum, non in quantum est Nunc, & hoc præteritum.] ab his enim in actualis operationis progressu abstrahit intellectus; sicut & ab alijs phantasmatis, imaginibus, ac speciebus minus perfectis. Vndè etiã actu non cogitat, sum ne in Nunc perfecto actu operationis: hoc enim, & similia cogitare ad dispositione perfecti actus, seu ad verba præambuli, imperfecta, *e* & ad perfecta prius formãda pertinet: quando sc. mysticus ordinato progressu intellectus procedit, à magis notis ad minus nota, idque seruiente, aut saltem concomitante phantasmate.

Perfectum autem illud exercitium actus, quod nos intendimus, duo continet. primò, ut sit perfectum proprium, & accommodatum ad Hic; id est, ad regionem, vel spheram, situm, vel vbi; circa quæ in exercitio actualis vnionis sit circumuoluti, &

^a S. Thom. contr. Gent. l. 1. c. 37. ^b Ibid. c. 56. ^c Opusc. 36. c. 2. ^d De ment. q. 10. art. 1. 1. ^e Hic 4. 3.

conseruatio, seu continuatio virtutis appetitiuæ: in qua fouetur fruitio, per ordinatam successionem verborum mysticorum. primò enim pulchrum summi Boni videtur ab intellectu; dein amatur à voluntate; & amoris benefficientia, ab intellectu iterum clariùs cognoscitur, ac à voluntate dein intimiùs amatur; & ita consequenter, vsque ad actualis vnionis, vel remissionem, vel interruptionem. atque hoc modo exercitium actus ad Hic continet, situm, vel vbi, propriij spiritus: in quo accommodatè, & propriè, iuxta mensuram donorum intellectus, vel sapientiæ operari potest. pro vt latius dictum est supra. *a* Secundò vt sit perfectum ad Nunc non temporis, sensus, aut super Nunc reflectionis, sed Nunc operationis: id est, vt per verba imperfecta, seu indagantia, accommodato, & proprio progressu clariùs videndo, penitiùs diligit: quousque omnis circumstans imperfectio actionis, cum phantasmatibus, imaginibus, & discursibus abeant, & absque aliqua imperfecta specie motus, fruitio per perfectum processum de actu, in actum; seu de verbo mystico perfecto, in verbum mysticum magis perfectum continetur. quæ quidem duo, licet in speciebus *b* infusis, & in speciebus *c* Agalmatis, seu post excessum amoris in intellectu resultantibus, non sint necessaria, cum in speciebus infusis, Deus perfectiones ad Hic, & Nunc, suppleat, & in Agalma

ex natura rei concomitentur; quando tamen ordinario modo proceditur, & intellectus agentis industria; tum & imagines loco phantasmatum, & ad Hic regio, ac propria sphæra, situs, vel vbi; nec non & Nunc operationis per industrias, & certo ordine, distribuenda sunt. cum verba nostra non sint semper perfecta, sed sæpè imperfecta, informia, & à formatis, ac in Dei vnione perfectis, dilabentia.

In progressu autem amoris, & perfecto Nunc operationis hæc, & similia omnia cessant. tum enim [eleuat *d* animam Deus supra omnes corporales, atque labentium rerum imagines. Quamdiu enim vel minimæ creaturæ imago cum delectatione animæ inhæret, tamdiu suus ei conditor nulla ratione vnitur. Porro vbi anima Deo reuera vnita est, ibi nihil ei præteritum, nihil futurum est, nihil eam vel tædio, vel delectatione afficit. omnia namque in illo incommutabili Nunc, in æternitate illa, quæ Deus ipse est, habet. In hac nimirum felicissima vnione, & sui ipsius, & omnium extra Deum obliuiscitur.] cum autem frequenter mentio fiat de verbis mysticis, consequenter explicandum erit,

Quid sit verbum mysticum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

CVm [intellectualis *e* naturæ scilicet humanæ, angelicæ, & diuinæ,
Bbb verba

a Decis. 4. per totum. *b* Sup. Decis. 5. *c* Hic art. 18. *d* Taul. Instit. cap. 39. *e* S. Thom. opusc. 13.

verba longè ab inuicem sint distantia: & cuiuslibet naturæ suum sit proprium; scilicet humanum, angelicum & diuinum.] nos de humano, siue mentis verbo eatenus tantum aliqua dicimus, vt penitus ea, quæ de verbis mysticis ponuntur, intelligi queant. itaque [illud propriè dicitur a verbum interius, quod intelligens intelligendo format.] vel verbum mentis est illud. quo mens sibi interius rem exprimit, repræsentat, & velut eloquitur: hoc autem facit formaliter per ipsum rei conceptum, qui nil est aliud, quam rei notitia, & cognitio. atque ita omnis cognitio, seu conceptus rei, est verbum mentis: quando scilicet res ipsa immediatè interius menti exprimitur. [de duobus porrò ^a mens sibi aliquid exprimit, scilicet vel de seipsa, vel de rebus alijs. de seipsa, nulla ratione negari potest cum mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione, imò ipsam cogitationem sui esse imaginem ad sui similitudinem, tanquam ex eius impressione formatam. quamcunque enim rem mens, seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cognoscere, eius utique similitudinem, quantum valet, in ipsa sua cogitatione conatur exprimere; quod quantò verius facit, tantò rem ipsam verius cogitat. De alijs autem, cum cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis

meæ in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoria atraxi: quæ imago in cogitatione, verbum est eiusmodi hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit, secum imaginem suam ex se notam, id est, cogitationem sui ad suam similitudinem, quasi sua impressione formatam.]

Verbum mentis autem siue sit de rebus alijs, siue de ipsa anima, aut proprio esse spiritali, hoc ipsum erit vel in imaginatione, [sicut & phantasma Carthaginis est verbum Carthaginis;] imperfectum tamen [cum in verbis quæ in imaginatione fiunt, non sit ratio verbi expressa.] vel erit in memoria; scilicet [d cum intellectus accipit à memoria, quod ab ea sibi offertur, non eam spolians, quasi in ea nihil relinquens: sed similitudinem habitū in se assumens. & hoc est verbum memoriæ; adhuc tamen non habens perfectam rationem verbi. vel erit in intellectu: quando scilicet in principio actionis, intellectus, & species non sunt duo, sed vnum est in se intellectus, & species illustrata: & vnum in fine relinquatur, similitudo scilicet perfecta, genita, & expressa ab intellectu. quod quidem totum expressum, est verbum, & vltimum quod potest intellectus in se operari: & sic est verbum cordis.] & ita [mens e in anima nostra dicit illud quod est altissimum in

^a Ibidem. ^b Anselm. in monol. cap. 32. ^c S. Thom. opusc. 24. ex August. ^d Ibidem.
^e De verit. quasi. 10. art. 1.

bum sit triplex, scilicet verbum cordis, verbum memoriæ, & verbum imaginationis. Verbum autem cordis duntaxat, sit vltimum *a* quod potest intellectus in se operari. ad ipsum enim, in quo quidditas rei percipitur; imò quia ipsemet est quidditatis similitudo, terminatur intelligere: plenamq; habet rationem verbi, cum in ea quidditas rei intelligatur.] constat clarè, quod verbum imaginationis, & memorię sint præambula, & relatiua ad verbum perfectum cordis; imò quam maximè præambulum est *b* [processus ille qui in cognitione verbi est, cum intellectus accipit à memoria, quod ab ea sibi offertur, quin imò adhuc etiam præambulum est intellectus, qui in lumine suo capit à memoria parata capienti à se.] super omnia autem [dantur præambula *c* ad intellectum, potentię scilicet sensus interni, & externi.] [quamdiu *d* ergò intellectus ratiocinando discarrit, huc illucque iactatur; necdum formatio perfecta est, nisi quando ipsam rationem rei perfectè cōceperit. & indè est quod in anima nostra est etiam cogitatio, per quam significatur ipse discursus inquisitionis; & verbum quod perfectum est: scilicet perfecta contemplatio veritatis, in qua intellectus intelligendo aliquid format. & sic verbum nostrum prius est in potentia quam in actu.] & imperfectum quam perfectum, & præambulo indigens.

Verba porrò inquisitionis, seu præambuli, tamdiu durant, quamdiu intel-

lectus versatur circa suos actus, quasi reflectendo se super illos, & cogitando quid egerit, agat, agere debeat: benè, vel remissè succedat, & similia. sicut etiam quando intellectus vtitur adhuc phantasmate, aut illum vel imaginatio, seu species aliqua infima ruditer concomitatur, in quibus sæpè diu, multumque hæretur, priusquam omnibus, siue per affirmationem, siue per negationem transcensis, ac depuratis, super omnem affirmationem, & negationem perfectum aliquod verbum dicat. quæ quidem retardatio, & imperfectorum verborum pronūtiatio, non tam defectui operantis, quam conditioni nostri intellectus adscribi debet. [intellectus enim humanus, non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sicut Diuinus, & Angelicus; vndè necesse est eum intelligere, componendo, & diuidendo, & ratiocinando.] licet ergo hæc rationis intellectuales imperfectio moram adferat; non tamen impedit, quo minus etiam rationis inquisitio, per verba præambuli suum finem, & proportionatam dilectionem, seu in Deo bene-afficientiam cōsequatur [intellectus *f* enim & ratio differunt quantum ad modum cognoscendi: quia scilicet intellectus cognoscit simplici intuitu, ratio verò discurrendo de vno, ad aliud: sed tamen ratio per discursum peruenit ad cognoscendum illud, quod intellectus sine discursu cognoscit,] & consequenter a-
morem excitat: licet nondum perfectè,
simpli-

a Et opusc. 14. *b* Ibid. 14. c. 1. p. q. 78. *d* opusc. 13. c. 1. p. q. 76. a. s. c. *f* Opusc. 53. de intel. & intellig.

simpliciter intelligentia, ac subtiliter, substantijsque separatis conformi modo. nostræ itaque operationis conditio, moderatè procedit; ita ut sicut vita ante se essentiam postulat, ita cognitio vitam, & amor cognitionem, & unio amorem.

Quamdiu ergò [homo *a* perfectè scire non valet, quid sit Deus, nec ignorare tamen quid ipse non sit: eaque omnia abstrahendo negat; tam diu, nulli intellectus obiecto immoratur, sed expectat semper quemadmodum materia formam; nam ut materia non quiescit donec omnes suscipiat formas; ita nec intellectus quiescit, nisi in illa veritate, quæ omnia in se concludit, continetque: illius essentia sola eum abundè satiat, redditque contentum.] quin etiam [quamdiu *b* veritatem substantiæ alicuius propriè non inuenit, & ipsum fundum necdum attingit, ita ut pronuntiare queat, istud est hoc, & ita est, haud secus; tam diu adhuc inquisitioni vacat, & expectat adhuc, necdum se inclinat, nec quiescit, sed laborat continuè, & ipsam inuestigationem in quadam expectatione deponit; atque hoc modo nonnunquam vno, vel amplius anno, vni naturali inuestigandæ veritati incumbit, scire volens quid ea sit: sed multò adhuc diutius laborat in abstrahendo, quod ipsa quam inquirat veritas non est, & interim sine obiecto, & sustentaculo persistit: nec vllum indè pronuntiat ver-

bum; quippe cum necdum ad plenum hanc cognoscat veritatem: atque hoc modo nunquam in ista vita intellectus, supernaturalis veritatis, quæ Deus ipse est, fundum attingit; vnde semper manet in quadam expectatione suspensus; semperque laborat, ut veriùs ignorantia quædam, quam scientia dici possit, quidquid hic percipit de Deo, nunquam enim ita manifestum se exhibet Deus, etiam amicis suis in hac vita, quin nil sit in comparatione illius, quod ipse est in seipso. Et licet veritas in ipso fundo sit, intellectui tamen manet abscondita, & operta: interim verò non detinetur intellectus, ut quiescat tanquam in aliquo obiecto; necdum finem ponit operi suo, sed adhuc præstolatur, & laborat circa vnum, nunc quidem absconditum, sed tamen quandoque reuelandum, cognoscendumque. Vnde etiam verbum perfectum non exprimit: sed circumspiciendo cognoscit.] [non enim dicimur intelligere, sed cognoscere *c* potius aliquid intelligendo, antequam conceptio aliqua in mente nostra stabiliatur.] idè etiam [spiritui *d* commotionis, & igni non in esse Dominus dicitur: esse verò in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum mens, cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfectè perspicere valet, Deus non est. cum verò subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit, quasi enim

Bbb 3

sibilum

a Taul. serm. 2. in circumc. *b* Ibid. *c* S. Thom. Opusc. de intellectu & intellig. *d* S. Greg. l. 5. Moral. c. 26.

sibilum auræ tenuis percipimus, cum sapore incircumscriptæ veritatis contemplatione subita, subtiliter degustamus. tunc ergò verum est quod de Deo cognoscimus, cum plenè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus.]

[Spiritu ergò *a* præparato, sine vlla dilatione idem ipse Deus scilicet ingreditur, & sine vlla mora gratiam largitur.] ad quam quidem præparationem. [& perfectam contemplationem exigitur: quod duplex eius *b* difformitas amoveatur; primò quidem illa, quæ est ex diuersitate externarum rerû; prout scilicet relinquit exteriora: secundò autem, ea, quæ est per discursum rationis: & hoc contingit, secundum quod omnes operationes animæ, reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis. Et tunc istis duobus præmissis, tertio ponitur vniformitas conformis Angelis: secundum quod, prætermisiss omnibus, in sola Dei contemplatione persistit.] & tum [ex *c* bono realiter coniuncto] prouenit [delectatio quæ nihil aliud esse videtur, quam *d* quietatio voluntatis in bono conuenienti; sicut desiderium (seu verbum præambuli) est inclinatio voluntatis in aliquod bonum consequendum.] & idè etiam verba præambuli imperfectè tantum delectant; prout scilicet bonum proportionatum absens, per desiderij inquisitionem quodammodo præsens constituitur, vsque

ad verbum perfectum quod vitaliter bene-afficit ex bono, quod perfectè, & realiter coniungit, & gaudium facit.

[Si quis igitur dati *e* sibi modicè, exiguique luminis fines transeat; & aduersos radios id quod eius aspectum superat, temerè intueri conetur; lumen quidem nihil præter id quod est accommodatum, efficiet: ipsum autem liberum arbitrium, quod perfectis rebus minus perfectè studet, datque operam, nec ad ea quæ ipsius non sunt perueniet; nec mediocritatem illam, quod immoderatè se offerat atque iactet, per se assequetur.] & idè tam diu modico lumine verbi, seu operationis præambuli, pia anima se contentare debet quovsque vitaliter excitata, voluntas dilecto frui valeat. [intellectus enim non mouetur per hoc quod recipit formas, sed magis quiescens perficitur, & intelligit,] ac per hoc ex maiori amore, maior cognitio procedit, ad fruitionis continuationem. hisce dictis, ergò de imperfectis verbis consequenter dicendum est,

Quid, & quotuplex sit verbum mysticum perfectum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Licet secundum quod Essentia diuina est obiectum intellectus quod quid est, non possit proferri à nobis in hac vita, verbum de Deo perfectum;

a Taul. serm. 1. infr. ort. Epiphani. *b* S. Tho. 2. 2. q. 180. a. 6. ad 2. *c* Li. 1. Cont. Gent. c. 10. *d* Li. 2. Cont. Gent. c. 26. *e* S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. *f* S. Thom. 1. 2. Cont. Gent. c. 50.

eum nos viatores Dei quidditatem non nisi in abstracto intelligamus; hoc ipsum tamen non obstat, quin aliquod verbum mysticum perfectè proferri possit. Verbum enim mysticum perfectè sumptum, non est aliud, quam representatio Dei quo ad significatum substantiale, per conceptum quidditativum in abstracto, totam capacitatem intellectiois, & dilectionis animæ, adæquato actu adimplens.

Verbum porrò tam perfectum, non ita facilè formatur: [nostrum enim verbum non est semper *a* formatum; sed quandoque habituali notitia ad illud se habet; sicut potentia ad actum. plenam autem rationem verbi habet cum in eo quidditas rei intelligitur:] non quidem claræ visionis: hoc enim in Scholastica Theologia in actu transcurrente duntaxat, Adamo, Moyse, & Paulo contigisse [vix *b* credimus.] hinc etiam statim supra ponitur, quantum ad substantiale significatum, non autem partiale, scilicet sapientiæ, misericordiæ, infinitatis, omnipotentis &c. sed sub ratione omnis Boni. quidditativo quidem conceptu, representante ipsam essentiam diuinam, sed in abstracto, & notitia media claræ visionis patris; & in Nunc instanti, consortij diuinæ naturæ, idque adæquata intellectioe, & dilectione, qua quidem non plus intelligit quam diligit, nec plus diligit, quam intelligit: quæ fruitio maxime conformis est ad modum operandi

substantiæ separatæ, & perfectissimæ animæ.

Cæterum verba mystica perfecta, secundum quod specificè considerantur, tria sunt: primò, quando per species infusas Deus supplet ordinarium modum operandi, scilicet intellectus, *c* & diligit. secundò, quando Deus immediatè mouet vim amatiuam in centro voluntatis, sine præuio intellectu, in Nunc actus exercitio ad amorem, excitandum *d* directo. Tertiò, quando intellectus agens gratia mystica sanatus, & donis supernaturalibus intellectus, & maxime sapientiæ à Deo inductus, per species *e* expressas operatur, & Deum sibi repræsentat.

Porrò huius tertiæ speciei verba ita sunt perfecta; vt tamen vnum sit alio perfectiùs: & primò quidem, quando intellectus agens à phantasmatibus abstrahit, & speciem, vel similitudinem Diuinitatis in intellectu patiente in verbum formandum porrigit, ad beneficii ex utroque resultans, & sic describi potest: verbum mysticum est fruitio, seu vitale, beneque afficiens consortium diuinæ naturæ, per operationes intellectus expressum. secundò, quando per istiusmodi operationes verbi, seu verborum, ipsum beneficii, seu fruitio diuina, penè inaduertenter augetur, & tandem operationibus intellectus præualet, ita vt non nisi notitiam intellectu superiorem compatiatur; cum longè arctiùs amori, quam notitiæ

tix

a S. Thom. opusc. 14. *b* Thom. à Iesu de Cont. l. 5. c. 14. *c* Sup. decis. 5. art. 1. *d* Ibid. Artic. 2.
e Ibid. art. 1.

titijæ intendat: in eo enim actu, necdum perfectum verbum intellectus à lumine maiestatis suppressus pronuntiat, & sic describi potest: verbum mysticum est consortium diuinæ naturæ vitaliter bene-afficiens sine *a* verbo intellectus plenè formato. videtur enim ad eius perfectam dictionem ipso lumine ecstático opus fore. hoc verbum à præcedenti in eo differt, quod intellectus nullum verbum exprimat, affectu superexcedente. ideo etiam fruitione durante, *b* mysticus est in optimo modo huius vitæ, non quidem operandi; sed accipiendi: id quod pro tanto longè perfectius est, quam primum verbum: cum amor bonum magis realiter coniungat, quam intellectus. Tertiò, quando affectu hoc remittente, in intellectu patiente resultat species intelligibilis iam habitæ communionis Diuinæ naturæ; quæ quidem species est *c* Agalma, seu pulcherrima præstantissimaq; imago seu representatio benè illius afficientiæ: quæ licet intellectum excedebat, non tamen ab omni *d* intellectuall lumine & capacitate, trunci alicuius instar priuabat, & sic describi potest. Verbum mysticum est communicatio Diuinæ naturæ per speciem resultantem. differt hoc verbum ab utroque præcedente; non enim per intellectum agentem prima eius species fabricatur. sed ipsam speciem, ipso instanti, quo intellectui patienti videre permittitur, ex superexcedente amore resultantem re-

cipit; dein idem ipse intellectus patiens sua actiuitate perficit dicendo ilicò ipsum verbum mysticum; per quod etiam à secundo verbo differt, quod affectu transcendente, dici non potuit: hinc etiam naturæ magis gratum, & proportionatum est, cum vtramque potentiam in adæquato e actu, scilicet intellectiōnis, & dilectiōnis, admitat. quod autem, vel ad vnicum verbum mysticum perfectè formandum, plura requirantur, consequenter dicemus,

Ad formationem verbi mystici perfecti, quatuor esse necessaria.

ARTICVLVS QVINTVS.

NVlla res, qua simpliciter est, efficit opus aliquod; sed quæ benè est, beneque se habet. [res ergò creata cum suam perfectionem non in vno; sed in multis in supremo vnitis, possideat: eo quod bonitas non in suo esse solum consistat; sed in omnibus alijs, quæ ad suam perfectionem requiruntur.] oportet in verbo mystico, sicuti in verbo diuino quatuor considerare. Verbum namque diuinum representat essentiam diuinam, & tres personas. vnde (per impossibile) posita diuina natura, sine operatione ad intra; certè otiosa, & vt ita dicam, indigesta maneret. [nisi enim in summo Bono æternaliter esset productio *g* actualis, & con-

a Hic a. 12. *b* Hic a. 18. *c* Hic a. 17. *d* vt Hic a. 12. *e* Hic a. 18. *f* S. Thom. l. 3. Cont. Gent. c. 20. *g* S. Bonan. Itin. ment. c. 6.

consubstantialis, non esset summum Bonum, quia non summè se diffunderet. Ad naturam ergò Diuinam, & substantiam spiritualem pertinet, proportionatum bonum habere: & iam habitum per operationes perficere; ita ut quies in vnitare essentia, actio in Trinitatis distinctione simul sint. nec enim [summum Bonum potest a re-ctè cogitari, quin cogitetur trinum, & vnum.] simili itaque ratione verbum mysticum quatuor repræsentat, scilicet consortium diuinæ naturæ, & tres operationes. & horum quidem primum est [sensus *b* Diuinus,] seu vitale bene-affici, existere, aut habere, summi Boni. siue hoc contigerit ex verbo imperfecto, siue perfecto, siue ex immediato Dei influxu, voluntatis commotione, aut alio extraordinario, & supremo, quocunque tandem modo experimentalis: secundum quem [in rebus spiritualibus (licet non corporalibus) prius *c* gustatur, postea autem videtur: quia nullus cognoscit, qui non gustat; & idèd prius dicit, gustate, & postea, videte.] vndè non obstat quod dicit Augustinus, incognita nequaquam possunt amari: quia est notitia aliqua non intellectualis; sed affectualis, seu experimentalis;] ita ut sicuti [sensibilia sunt *e* prima principia cogitationis humanæ,] ita quoque sensus Diuinus, seu præexistens, & animum sanans bene-affici in con-

sortio diuinæ naturæ per prius in ipsa voluntate, sit primum motuum cogitationis, & formationis verbi mystici, seu principium [eius, vndè cognitionis concipitur.] & quia [participatio diuinæ bonitatis, & gratiæ, quæ non est principale *g* mouens ad Deum,] est in animæ essentia; voluntas autem per prius ipsam animæ essentiam contingens, est potentia indeterminata, & consequenter, non potest exire in actum (ordinario cursu,) nisi determinetur, scilicet per operationem intellectus agentis; & conformiter ad intensionem, vel remissionem vitalis præexistentiæ, speciem elicentis; hinc eiusmodi elicita species est secundum, sicut enim vita ante se essentiam postulat; nisi enim sit, non viuit; ita cognitio vitam, nempe non cognoscit, nisi prius viuat. in tantum ut omnis cognitio mystica, in voluntate, seu vitali communionem diuinæ naturæ fundamentum habeat. atque ita [h] intellectu possibilis deindè per speciem rei informatus, intelligendo format in seipso quandam intensionem rei intellectæ.] & hoc est tertium, quia verò in mystico verbo, ex utroque intellectu [spiratur *i* amor, qui est nexus amborum.] hinc sequitur quartum, in quolibet verbo mystico.

Quisquis igitur primò per communionem Diuinæ naturæ, in essentia:

Ccc

& per

^a *Ibid.* ^b *Ioan. à Cruc. de obscu. noct. l. 2 c. 9.* ^c *S. Thom. in Psalm. 33* ^d *S. Bonauent. itin. s. àter. d. 5. e 22. q. 134. a. 5. art. 3.* ^f *q. 10. de mente a. 9. c.* ^g *Opusc. de Beatit. h. l. 1. Cont. Gent. c. 52.* ⁱ *S. Bonau. itin. Ment. c. 2.*

& per tres operationes, intellectus scilicet agentis, patientis, & voluntatis ab utroque vitaliter excitatæ; [Denm inuenit, ab eo quatenus Deus est discendere non potest. dumque hoc intellectus apprehendit, ibi & memoriam, & voluntatem, seu amorem subsequi oportet.] [quod enim Deus in anima *b* nascitur, ipsam plenè felicem, & beatam non efficit: sed illud potius, quod cum amore intimo, & vnione interna cognitionem illam sequitur, quæ in ipsa generatur, & in eam reuertitur originem, vndè nata est, & profluxit, illi adhærens, & quod suum est deferens abnegansque; beata nunc atque felix effecta, non de eo quod suum, sed quod illius; habet enim Anima si velit, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum intra se præsentem: & sic in eam, quæ in ipsa est, vnitatem promanar, nudusque ei Deus in ipsa nuda anima manifestatur.] [licet autem opera Sanctæ Trinitatis *c* ad extra sint indiscreta; tamen vnicuique personæ in diuinis appropriatur actio sua propria in tribus superioribus viribus animæ. quia spiritus Sanctus suo tractu operatur in voluntate seu virtute amatiua superiore: Filius in vi intellectiua: Pater in memoria. Et tunc anima apta efficitur ad contemplandum Deum. Caterùm quia spiritus Sanctus nobis propinquior est secundum efflu-

xum Sanctæ Trinitatis, eò quod procedat à Patre & Filio; idcirco amatiua vis primò agitur, & trahitur, deindè intellectus & memoria.]

Nec mirandum est, formationem verbi mystici, ante operationes intellectus, vitalem communionem diuinæ naturæ prærequirere. Vndè enim, nisi [ex bono *d* bonitatis imago] habebitur? & vndè species ad actualem beneficentiam elicietur, nisi sit ex præ-existentia boni communicati per donum habitus supernaturalis, & maxime sapientiæ? ita vt talis [habitus per *e* essentiam suam sit principium talis actus] & vitalis communionis, ad eliciendam speciem pro Hic, & Nunc vnicè propriam: & ad operationem intellectus agentis conformem? Sed dicces primò, intellectus sine eiusmodi vitali afficientia, potest mouere voluntatem ad seruanda mandata Dei, & Sanctæ Ecclesiæ, & ad actus charitatis spiritalis, & corporales proximi exhibendos; sicut & alios actus virtutum. Respondeo, cum gratia Dei optimè hæc fieri; sed tales actiones esse operationes, effectus, seu verba gratiæ Sanctificantis, & vitam æternam pro futuro merentis. Secundò, Intellectus potest formare multas conceptiones de Deo, vt est vnus, & Trinus, immensus, æternus, omnipotens, & his similia multa, absque dicta vitali communiōne diuinæ naturæ. Respondeo, & hæc optimè

a Taul. ser. 2. in Circumc. *b* Idem ser. 2. in natia. *c* Harph. l. 2. p. 4. c. 63. *d* S. Dion. de diu. nom. c. 4. *e* S. Thom. q. 10. de ment. art. 9. c.

optimè, sanctèque fieri ab illis, quibus credita sunt eloquia Dei; sed eiusmodi esse tantum Theologicas, & conformes fidei reuelatæ: vbi intellectui ex natura actionem satisficit, à veritatis positione; videns enim intellectus verum esse, scilicet quod Deus sit vnus, & Trinus, habet quod ex natura illius operationis intendit. & talia verba sunt speculationis, quæ pro vltiori fine non habet actualem excitationem voluntatis, ad vitale consortium diuinæ naturæ. mystica autem operatio, loquutionè spectat comprimis talem afficientiam: aliasque dictas operationes gratiæ sanctificantis, & fidei reuelatæ exercet, quando decet, & mysticis functionibus, in exercitio actus, summè non intendit.

Difficilius insuper formantur operationes, seu verba mystica, quam alia verba iam dicta. cum enim [intellectus sit potentia & apprehensiuæ, voluntas appetitiua;] [intellectus autem, & sensus non moueant nisi mediante appetitu,] oportet in negotio mystico (vbi sensus diuinus tanquam cœlica sanitas præsupponitur) prius sensum, & vitam habere, antequam vitaliter possit operari, vel loqui. quia nimirum [essentialis, & substantialis, vnio fit in anima, & potentijs, & in fundo substantiæ animæ, & potentiarum dulcissimè complexus celebratur supremæ Transformationis,] &

[regnum Dei quod intra nos est, in ipso videlicet intimo fūdo supra dominium virium operationem, seu actualitatem oritur.] itaque [sicut occulta Deitatis natura secundum modum personarum æternaliter contemplatur, & amat; sic secundum essentiæ suæ vnitatem in quodam semper complexu fruitur personarum. in quo nimirum complexu deuoti spiritus vniuersi vnus cum Deo profundo amoris profluuiio protinus efficiuntur.] ne quis autem sibi imaginetur, hæc quatuor multipliciter causare, dicimus consequenter,

Quod verbum mysticum formetur in instanti.

ARTICVLVS SEXTVS.

SI quis vt arrham gloriæ, generalem modum se se ad Deum conuertendi, eamque conuersionem per intellectum agentem, continuè abstrahentem, & bonum vitaliter afficiens reijcientem, sibi ipsi constituerit; facillimè has mysticas industrias, diuinosque in orbe terrarum, seu animæ lusus contemnet, tanquam quæ speculatiua sint, internæ quieti noxia, & liberæ operationes spiritus retardantia. cuius quidem obiectiunculæ mullitacionem, tanquam mysticæ distinctionis, & instantaneæ operationis realis, vitaliterque afficientis ignaram, ac

Ccc 2

per-

a Opusc. 35. b Ioann à Cruc. l. in explanat. Cant. c Taul. serm. 2. in Fest. SS. Trin. d Harph. l. 3 p. 4. c. 27.

perfecta, integra & instantanea fruitione carentem, (prout ex omnibus quæ tota hac Decisione dicuntur, certum fieri potest) illi relinquimus, qui ita sua sorte contentus est, vt pretiosum à vili non separet, ac sapientiæ thesaurum in ore sapientis, & particulari operatione desiderabilem deglutiat, dum quibusuis absque delectu, ordine, & congruitate ad Deum tendentijs, desiderium animæ suæ replet.

Et idèd accuratius rem prosequendo, dicimus: in instanti formari, & pronuntiari verbum mysticum, quamuis ad eius integram perfectionem, quatuor ab inuicem distincta, & mutua operatione in vnum bonum concurrentia, requirantur. licet enim [prius natura sit informari *a* quam intelligere, sed non tempore.] quia [res intelligibilis eo ipso intelligitur, quo intellectus formatur sua specie actu. simul ergò tempore intellectus *b* format, & formatus est, simulque intelligit; quia ista non sunt motus de potentia ad actum: quia iam factus est intellectus in actu per speciem. sed processus perfectus de actu in actum vbi non requiritur aliqua species motus.] & sic visio & amor fiunt simul in instanti: omnibus ergò mobilibus *c* mobilior sapientia, ex nobilitate suæ actiuitatis in summo & optimo actus, in instanti sua perficit: & [absque *d* rationis discursu com-

prehenduntur ea, quorum species sunt in cognoscente.] vnde in fundo, seu mentis apice occulto, quietoque silentio [verbum suum Pater Coelestis, centuplo *e* celerius pronuntiat, quam transeat momentum.]

Porro instantaneæ illius operationis, ratio est, tum quod [nulla factio possit durare in suo summo, pro vt summum contemplationis vniformitatem contemplationis, id est simplicem animi intuitum, abstractum, & eleuatum conseruat,] sensibus non ligatis, tum quod [intellectus si mouet, *g* moueat in instanti:] tum quod in amoris fruitiui actus exercitio, sicut [in *b* intellectu substantiæ separata, sit quædam intelligentiarum successio, vt actus succedit actui.] vt autem ad oculum magis constet quatuor illa, vel ad vnicum verbum mysticum formandum prærequisita, nullam multipliciter fruitioni aduersam causare, consequenter dicimus,

Quod hinc facilitas pronuntiandi verbum mysticum, oriatur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

VERBA quidem mystica imperfecta, seu vt sunt præambula ad perfectum; eò quod aut cõponendo, aut diuidendo, aut appetendo, inquirat; tardè, & difficulter pronuntiantur: at verbum

a S. Thom. opusc. 14. *b* Ibid. *c* Sap. 7. *d* S. Thom. l. 1. Cont. Gent. c. 57. *e* Taul. Dom. 5. Quad. ser 1 & Harph. l. 3. p. 4. c. 30. *f* S. Thom. 2. 2. quæst. 180. artic. 8. ad 2. *g* lib. 1. Cont. Gent. c. 20. *h* Ibid. c. 96.

bum perfectum, de quo hic loquimur; ex ipsa spiritus instantanea actiuitate facillimè pronuntiatur, & hoc primò, quia *a* [tempori & morositati non subiicitur,] & intelligibilia, à sensibilibus conditionibus abstrahit. Secundò, quia sicut per gratiam gratum facientem velle adiacet; ita per supernaturale donum sapientiæ, pro vt ad exercitium actus, & vsum, diuinæ naturæ consortium præbet, perficere inuenit. in tantum, vt ex ipso Bono vitaliter præsentate, & quasi cœlica sanitate obumbrante, intellectui agenti ilicò, & in ipso instanti lumen proueniat, & in intellectu patiente verbum formetur; ab utroque autem Boni ratio profuens, ipsum Bonum subtiliùs, & substantiæ spirituali conformiùs perficiatur. Tertiò, quia quando proceditur in actus exercitio per donum sapientiæ; [formatio *b* verbi non transit ipso formato, sed dum actu intelligitur continuè formatur verbum, quia semper est vt in fieri: & vt in egrediendo à dicente. Vndè & [per desiderium *c* semper de nouo contingitur, & ad noua interna opera excitatur.] Quartò, quia licet continuatio fruitionis ex humana conditione interrumpatur: [intellectus tamen *d* quolibet finito dato, aliud molitur intelligere.] atque ita de nouo *e* facillimè diuino radio, pijs mentibus semper collucente, intellectus agens se reflectens, operari incipit, & bonum naturæ diuinæ per

donum sapientiæ communicatum, distribuere non cessat. Vt autem & hæc clariora fiant, consequenter dicitur,

Per operationem successiuam verborum mysticorum, continuari fruitionem, ordinata, & perfecta quiete.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Non tantum in instanti, & facillè verbum mysticum profertur; sed eius subsequens scilicet verbum, & perfectior dictio vsque ad eò necessaria est, vt sine ea fruitio, & perseverantia boni Nunc instantis, subsistere nequeat. cum enim fruitio *f* ad delectationem spectet, & appetitiuæ potentiæ actus sit. [non potest fruitioni vnus actus sufficere; nam appetitus, insatiabiliter aliam, atque aliam subsequentem delectationem cupit; nec vno actu totam suam vim exprimere potest. sicut intellectus, non vno verbo omnia dicit; sed multis, propter impotentiam in intelligendo. hinc etiam ipsum verbum perfectum, est præambulum verbi immediatè subsequentis, & profertur, nam [verbum *g* nostrum semper est in continuo fieri; cum perfectum esse suum sit in continuo fieri.] atque ita constituitur vna differentiarum verbi nostri, & diuini. [nos enim *h* non possumus omnia quæ sunt in anima nostra vno verbo exprimere: & idè

Ccc 3

a S. Thom. l. 2. cont. Gent. c. 96. *b* Opusc. 14. *c* Harph. l. 3. p. 3. c. 18. *d* S. Thom. l. 1. cont. Gen. c. 55. *e* Vt hic n. 22. *f* S. Thom. l. 2. q. 11. a. 1. c. *g* Opusc. 14. *h* Opusc. 13.

ideò oportet quod sint plura verba imperfecta, per quæ diuim exprimamus, omnia quæ in sciētia nostra sunt. in Deo autem vno actu vnicum verbum diuinum, expressiuum est totius, quod in Deo est: non solum Patris, sed etiam creaturarum, aliter esset imperfectum.]

Et cum in quolibet verbo nostro sit aliquid quasi adhuc informe, imperfectumque; ad formam absolutam naturam contendens, quæ quidem sua cuiusque bonitas appellatur, qua iam comparata rursus mouetur ad finem aliquem, vt ad bonum: hinc est quod [ultima a felicitas hominis ponatur in continuatione intellectus possibilis, ad intelligentiam agentem.] cuius quidem continuationis [motus, b est causa delectationis quoad omnia, quæ in ipsa delectatione reperiuntur; idque ob transmutationem boni delectabilis & delectantis; quod in nobis fit per successionem partium, non autem totius.] & hoc non tantum circa intellectum; sed etiam, & quidem quam maximè circa affectum, & ideò [intellectum & affectum c pariter coambulare necesse est, vt illa secretissima contemplationis itinera perquirentes attingere valeant. alioquin intellectus sine affectu claudus efficitur: affectus autem sine intellectu cæcus esse probatur. coambulent ergò necesse est, vt & intellectus affectui viam per quam

ambulet, & finem quem desiderat succulenter ostendat: affectus autem intellectum in terminum desideratum, & præmonstratum impetu suo transferat, & perducatur;] quia [mentes d celestes, vel spiritus rationales ad interiora nitentes, cognitione, & dilectione accedunt, & proximæ fiunt secundum excellentissimam collocationem, quam habent iuxta Deum.]

Et ne quis ad fouendum otium internum sibi imaginetur, motum & operationem, vnionis quietem turbare, eiue aduersari, sciat quod [motus e intelligibilium operationum, ad ipsam quietem contemplationis pertinet;] illamque continuet actibus successiuis, & verbis ex verbo formati, vt præmissæ ex conclusione; attamen fixum intuitum non impediens; adinstar visus qui momentanea coniunctione palpebrarum minimè turbatur. [operatio enim intellectus, in quo f contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur, secundum quod motus est actus perfecti;] & pro vt in substantijs intellectualibus actus succedit actui; quodam intelligendi ordine, & amorem excitandi; non crasso, & sensibili, sed subtili, & spiritali modo. & quia [ex speciebus g primò acceptis alias formare possumus,] [h maior amor necessariò causat maiorem cognitionem;] & consequenter per amorem [intellectus i acquirit dispositionem

a S. Thom. 1. 2. q. 3. Art. 4. c. b 1. 2. q. 32. Art. 2. c. c Harph l. 3. p. 2. c. 9. d Hugo sup 7. Hier Angel. e S. Thom. 2. 2. q. 180 a. 6 ad 1. f Item ibid. ad 3. & in c. g 1. p. q. 12. a. 11. ad 2. h i. 2. q. 27. i Lib. 3. cont. Gent. c. 53.

nem de nouo,] & [intelligendo in infinitum extenditur.] id est absque limitatione, incarceratione, aut captiuitate liberè operatur, & ipsum bonum consortij diuinæ naturæ, ac mysticæ vnionis pulchritudine, & lumine spiritali illustrat, & perficit. quod aliud non est, quam fruitionem amoris, per operationes ad quietem contemplationis pertinentes, continuare: & à falsorum, ac otiosorum spiritalium chymis, obscuris tenebris, & vacuis negationibus, iure meritò declinare. Virtutis enim amatiuæ est vnire duo, scilicet spiritum diuinum, & humanum in vno quodam tertio, scilicet verbo mystico, & copulare ad nouum aliquid inde confluendum, scilicet verbum verbi mystici. & tum vtiliter [aguntur a spiritu Dei, vt & ipsi, quod agendum est, agant, & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. spiritus enim Dei qui eos agit, agentibus est adiutor, & ductor. Aguntur ergò vt agant, & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant: vt hoc sicut agendum est, agant, id est, cum dilectione, & delectatione iustitiæ: quia, qui spiritu Dei aguntur, charitate aguntur, & excitantur.]

Pari modo ne quis absurdè, aut ruditer subdubitet, an continuatio fruitionis per verbum verbi mystici, seu operationis mentalis vnus ex alia, ita fiat; vt explicita, & reflexa notitia, in actus exercitio aduertat, vel intra se

dicere debeat, aut possit, scilicet iam est formatum vnum verbum, aut quomodo ex formato hoc verbo, aliud, seu verbum verbi formabo: sciendum est, omnem notitiam reflexam, qua quis adhuc nouit, quid agat, aut agere intendat, desideretue, ac etiam an supra vel infra, sinistrorsum, vel dextrorsum, ante vel retro, extra vel intra, eundem, aut cogitandum sit, & plura similia; ad verbum imperfectum, & operationem ad perfectiorem tendentem pertinere, & non nisi verba præambuli esse: eò quod præcedant, & ad perfecta disponant, vt dictum est supra *b* & ideò ad perfectum verbum, de quo hic loquimur, non facere, sicut nec quilibet super his, & similibus, discursus, qui in verbo perfecto locum non habent. in illo enim [discursu cessante figitur animæ intuitus in contemplatione vnus simplicis veritatis; versaturque circa intellectum primorum principiorum, in quo non erratur.] nec dubitatur an benè agat; vel cogitatur, quid agat, quidue agendum sit: sicut ordinariè accidit videndo lumen diei, non dicimus, lux non est caligo, lux est qualitas: sed simpliciter oculos in lumen conijcimus: ita quoque anima in perfecto modo operandi, nihil negat, nihil etiam affirmat, sed tantum intelligentiæ lumen in Deum ipsum, cum suprema reuerentia erigit, illumque tranquillissimè videndo, se pascit.

Itaque

a S. Anselm. in hunc locum Roman. b Hic art. 3. c S. Thom. 2. 2. quæst. 180. Art. 6. ad 20

Itaque [cum *a* aliquis spiritualem oculum in radio æterni solis figit, ibi lumen videns videt: quia iam omni mutabilitatis vicissitudine, atque obumbratione calcata, veritati æternitatis inhæret, eique inhærendo quem cernit ad similitudinem incommutabilitatis affurgit, atque in semetipsum auctoris sui inconuertibilem speciem, dum recipit, assumit.] anima enim [quæ ad mutabilitatem *b* per seipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immobilem videndo formatur.] & [in eadem *c* cogitatione sine intermissione semper eminenter manet, vt in illam abyssalem claritatem continuè feliciter transformetur. similitudinem gerens diuinarum personarum,] per hoc quod [ab æterna *d* veritate (& bonitate) conceptum verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus, nec à nobis nascendo discedit.] quia nimirum [per *e* verbum est notitia (scilicet noua) quam intellectus concipiendo cognoscit,] vt nouum verbum formet, & ita continua intelligentiarum successione viuat, pro vt [intelligere est quoddam viuere,] & per actiones intellectus, & voluntatis Deo amabiliter vniri, & frui; non autem de diuina veritate speculatiuè duntaxat oblectari, pro vt contemplatio veritatis per se, nudè quodam-

modo, oblectat: sed pro vt [fruitio est amantis (scilicet animæ) in amato (scilicet Deo) quietatio.]

[Diuinum itaque *g* intelligere est absque successione, totum simul, & æternaliter existens: nostrum autem intelligere successione[m] habet, in quantum adiungitur ei per accidens continuum, & tempus:] & pro vt [in intelligentibus *h* creatis, intelligere ipsum non est subsistens, sed actus subsistentis.] ita vt necessariò in continuatione actionis fruitiue formari debeant verba, seu loquutiones, operationesque, ad hoc, vt vita æterna, quæ Nunc est, scilicet præsentis; sit & futuræ, scilicet immediatè instantis. & tunc ordinatè, ac realiter [aduentus *i* sponsi absque tempore in quodam Nunc sempiterno consistit, & semper noua cum appetentia, ac nouo gaudio suscipitur.] quoniam [ista lux (qua viuunt anima in lumine diuino) in abscondito spiritus semper sine intermissione renouatur: & anima nostra in æterna nouitate semper feliciter, & gloriosè cum Filio DEI generatur.] atque ita [non est *l* momentum, quo non hominè mirabiliter, ac ineffabiliter, vicinè, profundiusque in DEVM pertingere possit. ipsa autem conuersio, siuè introuersio, si integra, veraque sit, solumque

a S. Greg. apud Bonau. 6. Itin. Æter. decis. 1. *b* Idem ibid. *c* Harph. lib. 3. part. 4. cap. 30. *d* S. Augustinus lib. 9. de Trin. cap. 7. *e* S. Thomas opusc. 53. de intellectu & intellig. f. 1. 2. quest. 4. art. 3. c. *g* S. Thomas lib. 1. cont. Gent. cap. 102. *h* Ibid. i. S. Bonau. Itin. ment. cap. 6. *k* Harph. l. 2. p. 4. c. 65. *l* Taul. instit. c. 28.

solumque Deum purè , ac nudè inten-
dat , quoties renouatur , toties nouam
gratiam , nouam puritatem , nouam lu-
cem , nouam confert vicinitatem ;] in
qua sicut solaris radius vbique vicens
non tam efficit , vt omnia vbique lu-
ceant , quam vt omnia quodammodo
calcant , viuantque multa , calendo po-
tius quam lucendo . sic & mysticus or-
dinata successione procedit , quoadusq;
magis in amore diuino succensus , quam
lumine eius illustratus , vi amoris se ex-
tra statum suum dimoueat , vsq; ad sua-
uem mentis excessum .

In hoc ergò statu , in quo velle , &
posse adiacent , per ordinatam succes-
sionem verbi ex verbo , continuanda est
fruitio pro Hic , & Nunc . [vniscuiusq;
enim eorum *a* qui in Hierarchia co-
aptati sunt in eo posita est perfectio , vt
pro sua quisque virili parte ad Dei imi-
tationem contendat ; & id quod nihil
diuinius est , Dei , vt sacra scriptura lo-
quitur , fiat adiutor ; diuinamque in se
actionem quantum potest ostendat .]
& ita res naturaliter mobiles (maxime
verò in hac felicissima verbi mystici
successione) motus suos continuare co-
nantur : pacem suam optant ; id est ,
tranquillam in natura , actioneque sua
perseuerantiam : nam & quæ naturaliter
mobilia sunt ; in eo ipso quod mo-
uentur , tanquam sua quadam pace
quiescunt ; atq; ita motu contenta sunt ,
vt æterna , statu . id quod planè iucundè
fit , [quando *b* in felicissima Transfor-

matione sinum Patris , per Filium in ipsa
Spiritus sui Dei formi limpiditate pos-
sederit anima . tunc enim feliciter lumi-
ne diuinæ veritatis illustrata , æternam
filij generationem semper in se , no-
uam , singulis momentis suscipiet .] [hic
iam , oro , attendat *c* quisque , quantum
illi negligant , qui sine vilo timore , ac
solicitudine , & absque his vitam agunt ,
qui facilè ad hæc sublimia possent per-
tingere ; sed ob suam negligentiam , tor-
porem , & ignauiam , eis perpetuò sunt
carituri .] iam verò quod etiam hæc ,
quantumuis , sublimia videantur , non-
dum satis depurata sint ; consequenter
dicendum est ,

*Quod mysticus adhuc patiatur phantas-
mata concomitantia ; licet non ser-
uientia .*

ARTICVLVS NONVS.

QVAMUIS fruitio amoris diuini , per
ordinatam verborum , seu opera-
tionum successione continuetur ; non
ideò tamen contemplatio in initio , &
progressu tam pura est , & à phantas-
matibus aliena , quin imagines quædam
sanctæ , in quibus [Deus odorem *d* suæ
notitiæ manifestat ,] aut concurrant , aut
saltem coadstent . cum enim [nostra
e cognitio à sensu ortum habeat , prius
sunt cognoscibilia , quæ sunt sensui vici-
niora .] & ideò intelligentem oportet
phantasmata speculari . non quod [in-

Ddd ganum

a S Dion. de cœl. Hier. c. 3. *b* Harph. l. 3. p. 4. c. 30. *c* Taul. In sit c. 28. *d* 2. Cor. 2. *e* S. Th. 2. 2. q. 27. a. 4. c. *f* l. 2. Cont. Gent. c. 81.

ganum corporale exercita; sed quod indigeat phantasmate, & virtute memoratiua, & cogitatiua.] idque non solum in rebus naturalibus intelligendis; sed etiam in rebus mysticis, & cognitionibus diuinis. concurrunt porro phantasmata ad vsum, quando mysticus in Nunc instanti ab occupationibus externis, vt studij, prædicationis, aut regiminis ad sua interiora iterum, & quasi de nouo, sese reciperet, discuteretque an directè, vel indirectè, sinistrorsum, vel dextrorsum, sursum, an deorsum, eundem esset; adhuc in verbis imperfectis, seu præambulis discurrens: eo enim durante ipsa phantasia vteretur, puta videndo quænam sit sublimitas, vel profundum, longitudo, vel latitudo, quale lumen, vel tenebræ, spiritus durities, vel molities.

Atque ita [impossibile a est lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum,] scil. [quantum b ad primam informationem intellectus:] in qua [conuerti ad c phantasmata, est vt phantasmate actualiter ad tale opus.] nam dependentia scientiæ, cognitionis, aut contemplationis in homine, ab actuali operatione phantasiæ, fundatur potissimum in natura specierum acquisitarum, ex concursu naturali phantasmatum, ex quo consequitur, quod anima per illas operari nequeat nisi concomitante operatione phantasiæ. Adstant autem phantasiæ, seu concomitantur

intellectus operationes, quando contemplatio Pulchri, & Boni nondum ita depurata est, quin adhuc occulta, & subtilis aliqua species aduertatur, videlicet mentalis vbi, scilicet quam altè, dimissè, longè, vel propè ab ordinario, & consueto se inhabitandi modo operetur, viuat, atque existat: vel situs dispositionis actionum internatum conuideret; licet nonnisi per accidens: sicut oculus videns aliquod pulchrum attentè, simul obliquè, alia quæuis videndo patitur. Quia verò diuini animi gratia sanati, & dono sapientiæ supernaturalis ornati, intellectus agens à phantasmatis facillimè abstrahit; [species enim secundum quod est in phantasmatis d non est intelligibilis in actu; non enim sic est vnum cum intellectu in actu; sed secundum quod est à phantasmatis abstracta:] hinc etiam ab vterte phantasia citò expediri solet: à coadstante autem sacra aliqua imagine non ita facilè, & nonnisi cum practico ordine ad conceptum Dei quidditatum (saltem in abstracto) purissima intelligentia, pertigerit. prout latius consequenter dicitur.

Quod nimirum sacra quadam imagine consistens, quorsque mysticus assequatur conceptum quidditatum Essentia Diuina in abstracto, seu quod Quid non est.

ARTICVLVS DECIMVS.

DVplex [est Dei visio e vna quidè perfecta per quam videtur Dei Essen-

a S. Dion. de cæl. Hier. c. 1. b Dion. Carth. c Caiet. in 1. p. q. 84. a. 7. d S. Thom. 1. 2. Cont. Gent. c. 59. e S. Thom. 2. 2. q. 8. a. 7. c.

Essentia, alia verò imperfecta, per quã
 et si non videamus de Deo Quid est, vi-
 demus tamen quid non est; & tantò in
 hac vita Deum perfectiùs cognoscimus,
 quantò magis intelligimus Eum exce-
 dere quidquid intellectu comprehen-
 ditur. Et vtrãq; Dei visio pertinet ad do-
 num intellectus, viã quidem vt inchoa-
 tum, patriã autem vt consummatum.]
 Dum ergò per ordinatam successione
 operationis, seu loquutionis internã,
 fruitio, amorisque diuini vnio, perfecta
 quiete continuatur. [bonum quod lu-
 men mentis dicitur, particeps facit pri-
 mo a modico lumine: dein cum lumen
 quasi gustatur, magis etiam appetitur; ac
 magis quoque se infundit, illustratque.]
 [intellectus enim quasi intus legens b
 penetrat vsque ad entitatem rei, quia
 obiectum intellectus est quod quid est
 quod dum in præsentiarum facere niti-
 tur; [mens c phantasmata imaginationũ
 corporaliũ, & spiritualium abijcit, &
 iam aliquatenus æternam diuinitatem
 conspiciat, quam si necdum quid sit ap-
 prehendit, agnoscit tamen certè, quid
 non sit.] hinc etiam intellectus [non
 vult retinere imagines d diuinitatis, V-
 nitatis, Trinitatis, Bonitatis, Sapientia,
 nec quidem ipsius diuinæ essentia, pro-
 bans luce clarius quod hæc omnia quã-
 tumcunque præcella videantur, Deum
 tamen in sua proprietate non represen-
 tent; sed secundum modum, & mensu-
 ram, humanã comprehensibilitatis, &
 intelligentia: quapropter per nudam
 cogitationem suam superascendere nõ

cessat, in illam caliginosam, & infor-
 mem nihilitatem, vbi nimirum in per-
 fectam quandam Dei ignorantiam cõ-
 stituitur.] & idè [libero e solutoq; , ac
 liquido à te, & ab omnibus discessu, ad
 diuinarum tenebrarum radium, qui om-
 ni essentia superior est, contendes; cũ
 & omnia dempseris, & ab omnibus so-
 lutus fueris, & liber: in quo quidem sim-
 plicia, & absoluta, immutabiliaq; Theo-
 logia mysteria abstrusa sunt, perfulgen-
 te silentij obscura docentis caligine;
 quæ & eo quod obscurissimis tenebris
 obfusum est, id quod est splendidissi-
 mum, maxima luce illustratum osten-
 dit, ac prodit ex eo quod tractari, cer-
 nique penitus non potest, pulcherrimis
 splendoribus mentes, quæ aspectu ca-
 rent præter modum complet.] [nec e-
 nim f quemquam eorum qui rectè sen-
 tiant, contradictarum arbitror, quin
 mentem nostrã magis excitent, tollant-
 que in cœlum obscuræ similitudines.]

Tum demum [g & ab ijs quæ cer-
 nuntur, & ab ijs quæ cernunt liberatur,
 & in verè mysticam ignorationis cali-
 ginem irrepit, in qua omnis cognitionis
 subsidia deponit, vt in eo sit, qui penitus
 tractari, videriq; non potest; totus eius
 qui superat omnia, nec vllius, nec suus,
 nec alterius; sed ei qui omninò incog-
 nitus est, omnis cognitionis cessatione
 præstantiore modo coniunctus. atque
 hoc ipso quod nihil cognoscit, mentem
 & cognoscendo vincit, & superat.] &
 ita [bona omnium causa ijs solis sine in-

Ddd 2

regu-

a S. Dion. de diu. nom. c. 4. b Arist. 3. de Ani. tex. 26. c S. Greg. apud S. Bonau. 6. Itin. ater. d. 6.
 d Haph. l. 3. p. 3. c. 23. e S. Dion. Theol. Myst. c. 1. f idem de cœl. Hier. c. 2. g idem Theol. Myst. c. 1.

tegumentis *a* verè collucet, qui & immunda omnia, & munda transeunt, omnemq; omnium Sanctorum fastigiorum ascensum superant, & diuina omnium lumina, sonos, rationesq; cœlestes, relinquunt, & in caliginem ingrediuntur, in qua reuera est (vt scripturæ diuinæ tradunt) is qui est super omnia.]

Et eiusmodi cognitio sc. quod Quid non est; licet] veriùs *b* ignorantia dicatur, plus tamè in se complectitur, quam omnis exterior hominum scientia, cognitioq; ipsa namq; hominem non solùm à cunctis rebus intellectu cognoscibilibus, sed etiam à seipso abstrahit, allicitq; in Deum.] inspicitur enim Deus vt id quod non est, & tamen maximè cognoscitur secundum id quod est, quia dum nil limitatum, vel finitum apprehendit, in quoddam Ens illimitatum, & infinitum, cuius essentia, & substantia, & modus, sine modo nescitur, & intellectus purè inspiciens raptatur: nihil videt; sed id quod totum est, & extra quod nihil est, sibi videndum, & amore amplectendum sibi proponi cognoscit; igitur non videndo videt: & videndo non videt: quia velut quandam obscuritatem, & quandam nebulam, omnem lucem cõtangentem apprehendit. vnde non videt, quia obscuritas non videtur; & videt, in quantum immensa lux, quasi tenebris cooperta conspicitur.

Et quia in hac vita, nemo assequitur Diuinam Essentiam, secundum Quod quid est; seu clara visione videt; ideò [in statu *c* viæ, intellectus ingreditur ad spi-

a Idem *b* Taul. Dom. post natiu. *c* S. Th. 3. sent d. 35. q. 2. a. 2. *d* Dion. Carthus. in Theol. Myst. S. Dion. c. 9. a. 8. *e* Calagur. Theol. Myst. c. 7.

ritualia, maximè diuina per viam remotionis.] & tum in summa, & perfecta operatione qua verbum expressum format, saltem, [per appropinquationem *d* grandem ad notitiam quidditatis, fertur apex mentis, & intelligentiæ vertex Deo vniri, tanquam omninò ignoto, in omnimoda quoq; caligine fieri, nihilq; penitùs de illo cognoscere. non quod ab illius inspectione omnifariè vacet; præsertim, cum ita sit altissimæ, clarissimæ, ac perfectissimæ profundissimæ Deitatis cõtemplatio, cognitio, visio, huius vitæ possibilis. vt ipsemet Magnus Dionysius, & Expositores eius testantur; sed quia in hac contemplatiua, sapienti, altissima, ac feruentissima vnione cù Deo, mens acutissimè, & limpidissimè conspicit, quam super incomprehensibilis, & supersplendidissimus, & superpulcherrimus, & superluminosissimus, & superamabilissimus, & superiucundissimus, sit ipse Dominus Deus omnipotens, & immensus, atq; quàm infinitè, & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, visioneq; faciali, immediatè, & clarè intuitiua distet, deficiat, & occumbat; ideoq; præ admiratione deficit, & defluit à seipsa, gaudiosè quoque, ac dulciter absorbetur, obdormit, acquiescit super dilectissimo Deo Creatore suo.]

Summum igitur viatoris est (quandiu per operationes intellectus agentis, & species expressas, seu verba formata, procedit, intelligere non quod sit, *e* sed quid

quid non sit Deus, idque actus productione, quo excessè intelligit arcana verba quæ non licet homini loqui. itaque ipsi (scilicet mystici) [ascensum qui per negationes fit anteposuerunt, ut qui animum à sibi cognatis, familiaribusque rebus abducat, & per diuinas omnes notitias, atque perceptiones ambulet. à quibus exemptum, secretumque est id quod nomen omne, rationemque, ac scientiam superat: ad extremum autem ei illum coniungat, quatenus nos etiam illi coniungi possumus.] unde colligere licet ad hanc summam viorem non nisi perfectos attingere. [diuina namque caligo *b* est lux ad quam aditus non patet, in qua Deus habitat; que quidem nec cerni potest, præ excellenti claritate, nec adiri eadem, propter singularem diuini luminis effusionem. in hac versatur omnis qui Deum nosse, & videre meretur; hoc ipso quod non cernit, neque cognoscit, summè cognoscit.] atque tum demum ex natura intellectus, cuius obiectum est quod quid sit usque adeò per ordinatam fruitionem verborum mysticorum, contemplatio profundatur, ut ne quidem sit phantasia concomitans; idque statim ut conceptum quidditatum (licet solum in abstracto) attingerit. & eousque patitur mysticus phantasmata saltem concomitantia; licet tandem ita subtilia, ut ab ipso contemplante non aduertantur. Quando verò perfectè [silens *c* imago

docet, & ex apex mentis soli increatae luci intentus est, & vnicus per theorica lumina, per sapientiæ radium, per Deificas impressiones;] nihil ampliùs confert phantasia, tanquam insufficiens, animalis, alterius ordinis, & generis infimi. & iuremeritò quidem, nam [mens *d* humana simplex immaterialis, Deiformis, capacior est directè, & immediatè illuminationis, & lucis Angelicæ, quam materiale phantasma.]

Porro hiscè non obstantibus, si quis etiam posita supernaturali gratia; & operandi modo; adhuc tamen phantasia saltem concomitantem adesse diceret, ne phantasia sit vacua & otiosa; ac etiam ne aliùs loquamur de mystico, quam de ipso Christo Domino, qui ideò sensibus externis uti voluit, ne essent vacui; hoc non ita foret reijciendum.

Cæterum post omnem abstractionem tam eorum quæ non sunt, quam quæ sunt [remanet *e* conceptus entis perfecti.] in quo dein [mens seipsam deferens, cum splendidissimis radijs coniungitur, atque illinc, & ibi inuestigabili sapientiæ sprofundo illustratur.] cum autem [hanc lucem *g* omnipotens menti ostenderit, mox mole magnitudinis suæ, actualitate, & excellentia maiestatis perfectionis, & luciditatis suæ immensæ, mentem in momento, in ictu oculi, in puncto, sic dulciter, non violenter vincit, & opprimit; ut ipsa de-

D d d 3 fluat

^a S. Dionys. de diuin. nomin. c. 13. ^b Idem epist. ad Doroth. ^c Idem ibid. & cap. 1. Theol. myst. ^d Dion. Carthus. in 1. sent. dist. 3. ^e Gers. tract. de simpl. cord. ^f S. Dionys. de diuin. nomin. c. 7. ^g Dionys. Carthus. de font. luc. a. 16.

fluat atque deficiat in seipsa, ac victa amore, stupens præ admiratione eius, quam contemplatur, maiestatis, ac claritatis immensæ, præ Deitatis, quam cernit, deliciosissima serenitate, nesciat de seipsa. sic quidem repente tam validè illustratur, ac inflammatur, ut prorsus succumbens, vires & sensus corporales amittat. tunc enim mens in increatæ lucis secretum inducta, in infinitæ lucis abyſſo demergitur, in æternæ felicitatis oceano rapta deperditur: ac amoris immensi igne inuoluta comburitur: atque in superuastissimæ, ac superplanissimæ solitudinis, impertransibili, & immensa amplitudine securissimè errat, feliciter deuiat, perdens seipsam, nesciens vbi, vel quomodo.] ita tamen ut simul, & [quasi a amplexibus amoris, quod intus tenet, & nescit quid sit, totis viribus tenere concupiscat,] & hoc ipsum tandem fieri non tam per actiones intellectus, quam virtute amatiua perfectissimè excitata, consequenter dicendum erit,

Quod finaliter in altiori (scilicet amatiua) virtute uniatur divina Essentia, ut in se est.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

QVonam igitur pacto tandem bonum consecuturi sumus; bonum enim intellectu superius, intellectu non consequimur. sicut neque intelligibile sensu. attendenda est ergò [ratio discriminis apprehensiuæ, *b* & appetitiuæ

potentiæ, quæ consistit in modo operandi. apprehensiuæ enim trahit obiectum ad animum; appetitiuæ tendit in ipsum obiectum ut in se est, extra ipsam animam. amor etiam cum sit in vi appetitiuæ, quæ respicit rem secundum quod in se est; ad perfectionem amoris sufficit quod res prout in se est apprehendatur, & ametur. & ob hoc contingit, quod aliquid plus ametur, quam cognoscatur, quia potest perfectè amari, & si non perfectè cognoscatur:] hinc etiam [intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu, secundum suam similitudinem, voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit, in volente, sed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem ad rem volitam, processio autem quæ attenditur secundum actionem voluntatis nõ consideratur secundum similitudinem, sed magis secundum rationem impellentis, & nõ nentis in aliquid.] iure merito ergò super intellectum ponimus bonum tanquam id quod intellectu latius sit. intelligentiam enim videmus non seipsa contentam esse; sed tanquam finem appetere intelligibile, vel plusquam intelligibile bonum. imò neque essentia, neque vita, neque mens seipsa contenta est; illa enim ad vitam semper annitur, hæc ad mentem, mens ad bonum, tum intelligendo, tum volendo. Bonum verò, cum in resoluendo sit vltimum, ad aliud non contendit: nam sufficienter per intellectum prius mota [voluntas *d* seipsa in

a S. Bonau. solil. c. 2. ex Aug. b S. Th. 1. 2. q. 27. a. 2. c Opusc. 53. de intell. & intellig. d 1. 1. q. 9. a. 3. 6.

sam mouet:] & diuinæ essentia vnitur
 vt in se est. [cum enim Deum *a* per vo-
 luntatem diligo, meipsum transformo.
 Hæc enim est virtus amoris vt talem te
 esse oporteat, quale est illud quod a-
 mas.] [principalis enim *b* affectio quæ
 est scintilla synerisis, sola spiritui diuino
 vnibilis non minus excedit intellectu,
 quam intellectus rationem, & ratio i-
 maginationem: vnde & actionem suam
 ab intelligentia totaliter separatam ha-
 bet, eidem mirabiliter supereminens.
 sicut Ordo Seraphin, qui interpretatur
 ardens, est vicinior Deo quã Cherubin,
 qui interpretatur plenitudo scientiæ, &
 per consequens vberius, perfectius, &
 prius recipit à Deo influentiam. & hæc
 potentia vt est supremum in spiritu, ferè
 ab omnibus ignoratur, nisi quibus ab
 igne Spiritus Sancti, apex affectus im-
 mediata tangitur, & mouetur.]

In praxis igitur exercitio, & quando
 per species expressas intellectus agentis,
 ac stylo ordinario, modi operandi su-
 pernaturaliter per dona intellectus, ac
 maximè sapientiæ: vel quando non per
 species infusas, seu eminentiori modo,
 scilicet per immediatas commotiones
 voluntatis à Spiritu Sancto excitatas si-
 ne præiudicio intellectu directo, procedi-
 tur. [intellectus *c* & superior affectus
 aut amatiua vis pariter gradiuntur ad
 perueniendum in Deum, vsque ad ex-
 tremum, quo intellectus peruenire po-
 test. dein intellectus cum omni consi-
 deratione manet foris, & vis amatiua

sola ingreditur.] quia sufficienter [bo-
 num *d* intellectum est proprium obie-
 ctum voluntatis.] ita vt ad perfectio-
 res, & sibi soli debitas functiones exer-
 citio intellectus non egeat. hinc [a-
 ctui dilectionis *e* conuenit vnire, &
 transformare; hoc autem nullus attri-
 buit intellectui propriè, & sic patet pla-
 nè, quod actus dilectionis excellit, &
 præcedit actum cognitionis intellectu-
 alis in aliquo gradu: in quantum autem
 illum excellit, in tantum etiam excedit,
 attingendo Deum in aliquo gradu di-
 lectionis, ad quem actus intellectus ex-
 tendi non potest, quia superintellectua-
 lis est, saltem in hac vita, quia in patria
 videbimus Deum sicuti est.] iam velim
 [intelligas *f* quanta sit vis veri amoris, &
 dilectionis, si tamen intelligi potest;
 quoniam dilectio supereminet scientiæ,
 & maior est intelligentia, plus enim di-
 ligitur, quam intelligitur. intrat dile-
 ctio, & appropinquat, vbi scientia fo-
 ris stat.]

Cæterum in hac eminenti voluntatis
 actione, & vita mirabile profectò est
 boni ipsius imperium; incredibilem
 namque facilitatem cum immensa po-
 testate coniungit: cum enim infinitate
 possit omnia profus implere, vim infert
 nulli. omnia vel minima quæque, per-
 suasione quadam occulta facilè ducit,
 mouetque vltro moueri volentia; cum-
 que nihil res omnes velint suapte natu-
 ra nisi bonum, nullius imperium magis
 voluntarium, & clementius, & suauius
 est,

a S. Bonau. solil. ex S. Bern. in med. c. 1. *b* Harph. l. 1. p. 2. c. 48. *c* Idem l. 2. p. 3. c. 58. *d* S. Thom.
 cont. Gent. c. 81. *e* S. Bonau. s. itin. ater. d. 5. *f* S. Bonau. itin. s. ater. d. 5. ex Hug.

est, quam Boni. cum etiã [affectus sit quãdam *a* spontanea, & dulcis ipsius animi ad (Deum) inclinatio:] res appetenda *b* facilius mouet, sua bonitate,] ipsam voluntatem reciprocè: [per *c* appetitum scilicet, per quem omne mouens per se mouetur:] ita vt [amor ipse secundum quod est propensio *d* amantis in bonum amatum, sit velut nexus, & vinculum vtriusque.] & sic [*e* amor suapte natura contendit ad vnionem non solum per affectum, verum etiã per realem amantium coniunctionem illam, quã sit possibilis.] præsertim cum sit motus intimus efficacique ad vnendum, & commiscendum, præstantique modo res inter se colligandum. [nec vllum patiatur *f* medium inter se, & obiectum, quod est Deus; sed vehementer tendat in ipsum immediatè, nec vnquam quiescat donec omnia transeat, & ad ipsum & in ipsum veniat.] idque [impetu *g* sui ardentis desiderij, quem sequens amato appropinquat quantum potest; & eò amplius sitiens intrare ipsum cupit, & esse cum Christo, & tam propè, vt si fieri possit, hoc idem ipsum sit, quod ipsum est.] atque ita [quod est pondus in corporibus, hoc est amor in spiritibus. amor meus, pondus meum *h* eò feror quocunque feror. dono tuo accendimur, & seorsum ferimur, inardescimus, & intus ascendimus per ascensiones in corde, ad pacem Ierusalem.] hoc autem pondus Spiritus san-

cti, nescit tarda molimina. vnde eiusmodi [motione, & inhiatione *i* tendente in rem amatam nihil velocius; nihil acutiùs, nihil subtiliùs amore, aut penetrabiliùs: quia natura non quiescit, donec naturaliter totam amabilis penetrauerit virtutem, & profunditatem, & totalitatem quantum potest;]

Tum demum voluntate scilicet, seu amatiua virtute, tam eminenter in consortio diuinæ naturæ vnita, indicibili gaudio, [inter actionem *k* & otium, amor & fruitio viuunt. amor semper vult operari; quandoquidem perennis est actio cum Deo; fruitio semper otio vacat, cum sit supra velle, ac desiderare in dilecto, in formæ-nescio, ac nudo amore complexus.] ita vt mysticus [nec *l* sciat, nec sentiat se ipsum, neque Deum, neque creaturam aliquam, nisi solum amorem quem gustat, & sentit, à quo possidetur in quadam simplici, & nuda otiositate feliciter.] quod autem in amore tam eminenter, & intense excitato adhuc etiã diuinum quoddam lumen permaneat, consequenter dicendum est,

Quod nimirum hoc stante amoroso voluntatis excessu saltem coexistat in mente diuinum lumen, intellectu superiori.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

I Am fortè quærat aliquis primò, an intellectu hic foris stante, & nullum

a Harph. l. 3 p. 2. *b* c 9. ex Hug. *c* S. Thom. cont. Gent. l. 1. c. 13. *d* 2. 2 q. 82. a. 1. *e* 1. 2. quæst. 28. a. 1. *f* S. Bonau. 4. itin. atern. d. 6. *g* Hugo apud S. Bonau. ibid. *h* S. August. l. 13. confess. c. 9. *i* Lincon. apud Bonau. 4. itin. atern. d. 5. a. 3. *k* Rusbroch. de 7. amor. grad. c. 14. *l* Taul. instit.

verbum amplius dicente, nullum in amore vsque ad eò eminente, sit intellectuale lumen, seu an ita solitariè voluntas amet, vt omnem prorsus cognitionem extinxerit. cui responderetur, quod licet intellectus agens nullas possit amplius species fabricare, nec intellectus patiens vllum verbum formare, seu aliquid cognoscendo exprimere, aut de intellectus iudicium formare, aut quid qualevè lumen sit per reflexionem dignoscere, non id eò tamen omne diuinum lumē totaliter extinguere, ita vt creatura intellectualis ad instar trunci omni forma, & susceptione luminosa priuetur. sicut enim nemo debet destitui perfectione naturalis operationis; sic neque, & multò minus perfectione supernaturalis receptionis. hoc enim non tantum non perfectam, sed cæcam existentiam in mystico efficeret; quia illum lumine diuino intellectu superiore priuaret: imò, & absurdum poneret. [voluntas enim est appetitus *a* intellectiuis, id est, appetens intellectum penetrare, quod est in ipsa viuere.] hoc autē cum per actiones mentis ulterius non possit fieri, voluntas sufficienter mota, vehementi appetitu boni sibi propria actione vnionis intimitatem prosequitur; & [gratiæ Dei, quæ est participatio *b* quædam diuinæ naturæ] ac forma, & actus primus in ipsa animæ essentia habitans, sese iungit, vnitque ad optimum, & perfectissimum modum in hac vita à Deo *c* accipiendi: sicut pessimo, & mi-

serabilissimo modo [peccatum *d* originale per voluntatem ipsam animæ essentiam intrat, & vitiat.] & longissimè à Deo separat.

Neque huic voluntatis actioni intellectus se opponit; quin imò lubens perfectiori operationi, vnioni, & fruitionem continuandi modo, cedit. tum quod [nullū *e* lumen diuinam speciem exprimat, quodq; ratio, & mens omnis infinitis partibus ab eius similitudine vincatur,] tum quod sibi maneat [inclinatio finitelligibilis, quæ est actus voluntatis, & intelligibiliter in intelligente, sicut in primo principio, & in proprio subiecto;] ac [lumine quod bonum *g* mentis dicitur,] afficiatur; tum quod in essentiali animæ vita, & benefficientia vtriusque potentia sit mutua participatio, & quod operationi intelligentia deest, gustu amoris compensetur. sicut ergo amor, fruitione est bonum voluntatis, ita [dicendum est lumen *h* esse bonum mentis: quod mentem quidem cœlestem omnem, spiritali luce impleat; quod lucem omnem superet, quod quasi radius fortis, lucisque manans effusio illustres, & omnes mentis facultates remouent:] & in operatione intelligibili à gloria maiestatis intellectu oppresso diuinaque caligine imbuti contento; actualem vltiorem operationem voluntati, cui hoc congruit, ad continuationem benefficientia, & fruitionis diuinæ relinquat.

Eee

Mens

^a 2.2. q. 18. a. 1. c. ^b S. Thom. 1.2. q. 102. a. 1. c. ^c Hic. 15. ^d S. Thom. 1.2. q. 83. ^e S. Dion. de Cal. hier. c. 2. ^f S. Thom. 1. p. q. 87. a. 4. c. ^g S. Dion. de diu. nom. c. 4. ^h Idem ibid.

Mens itaque in caligine hac finem suae cognitionis adeptam, silet; nec vllum verbum, ne quidem quod quid non est de Deo exprimit, ac modum existentiae suae conditionis ignorat; quia contemplantis iudicium, quod est cognitio diuersa, ab apprehensione, suspensum est. vnde & hanc superexcedentem apprehensionem, notitiam, seu [caliginem] Deus illustrat essentialiter, & hic ipse quidquid nominis imponi potest, inefabiliter excedit in propria substantia pure, simpliciterque subsistens.] & tum demum, (non autem ilico, & prima tali quali ad Deum conuersione, eiusque recordatione, seu intuitu, vt quidem *b* vanè, & sine fructu consueuerunt) [nihil homini *c* consultius, nihil vtilius est, quàm vt in obscuritate quadam, & ignorantia se constituat. hic enim omne scire penitus deseritur, vel potius homo ab omni cognitione destituitur,] ac [in *d* diuina caligine, & quieto silentio omnis aequalitas, & inaequalitas perditur, & spiritus purgatus seipsum amittit, nihil iam vel de Deo, vel de seipso, vel de aequalitate, vel inaequalitate, nec de vlla alia re sciens. *e*] [affectus enim & intellectus simul coambulant vsq; ad nouissimum defectum intellectus, vbi habet quae suae cognitionis, & sui luminis consummationem. Affectus autem adhuc continet, principalia in Deum suspiria, super intellectuales extensiones, & immisiones, feruidos fulgores, & fulgidos fer-

uores, ad quos omnes sublimes excessus, & excedentes sublimitates intelligentia trahi non potest, sed solum principalis affectus Deo vnibilis, qui amplius sitiens ipsum amatam cupit esse cum ipso, & esse tam propè, vt si fieri possit hoc ipsum idè sit quod ipse est.]

Sic ergò [quando simplex *g* oculus amatiua virtute subiectus, cum intuitu simplici, in diuinam claritatem, respicit omne quod Deus est; ante conspectum Domini ratio deficit, & omnis consideratio, cum differentia, & discretionem; virtus autem intellectiua in modum modi-nescium eleuatur, ita quod intuitus eius sit sine modo, nec sic, nec hic, nec ibi firmatur; sed omnia quodammodo sine modo complectitur, eò quod eius intuitus, ei superexaltatus, & dilatatus est, ita quod nescit vbi respiciat, veluti vagabunda oberrens: nec quidem intuitum reuocare potest, quia totus est ab eo diffluens sine modo, sine fine, ac sine reuersione: quia quod capere desiderat, ad votum adipisci non praeualet.] Ex tali porrò [subleuatione *h* mentis, & puritate contemplationis, in tantum homini accrescit esuries amoris, quod per excessum sui ipsius se iugiter immolando tandem in operatione sua deficiat, & extremo spiritu defessus, ab amoris igne resolutus quodammodo dulciter annihilatur. Esurit enim Deum plenè degustare, quem tamen nullo conamine capere praeua-

a Taul. instit. c. 26. *b* 1. par dec. 7. art. 7. & 8. & dec. 8. art. 2. *c* Idem serm. Dom. inf. oct. Epiphan. *d* Idem serm. 1. in Fest. SS. Trinit. *e* Similia etiam Harph. l. 3. p. 4. c. 27. *f* Wercell. apud S. Bonau. s. itin. atern. d. 5. *g* Harph. l. 3. p. 4. c. 29. *h* Idem l. 3. p. 5. c. 37.

ler, sed in singulis diuinis irradiationibus ipsemet à Deo comprehenditur, & recenti semper amoris tractu in dilectum trahitur; sicque viribus proprijs paulatim destituitur, iuxta illud: *a* Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.] atque ita paulatim [diuina *b* Dei scientia, & notitia ignorantia hauritur, per coniunctionem quæ mentem omnem superat, quando mens ipsa à rebus omnibus abducta primum, dein etiam seipsam deserens cum splendidissimis radijs coniungitur; atque illinc, & ibi inuestigabili sapientiæ *c* profundo illustratur.] & [ardentissimo amore in presenti sentit quod intelligentia capere non sufficit.]

Secundò similiter quærat fortè quispiam, per quam ergò operationem, post omnes mentis actiones, voluntas ad Dei amorem *d* moueatur. cui responderetur, quod [voluntas habeat *e* vnum actum proprium, qui est actus tenendi siue amplexandi; & quasi possidendi, quos actus non potest habere intellectus: nam possessio non est intellectus cognoscentis, sed voluntatis habentis; sicut sanitas sani, non est medici cognoscentis, sed sani eam habentis.] & sic per actiones intellectus sufficienter excitati, [amoris *f* est ad inuicem mouere.] imò in hoc instanti [voluntas mouet *g* seipsam.] & tum [tantò intensius

cor humanum in aliquod *h* vnum fertur; quantò magis à multis remouetur.] vnde etiam præstat superiora amare, quam nosse; iuxta illud: Diliges (non autem intelliges) Dominum Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota *i* voluntate tua.

Tertiò verò quærat fortè aliquis; quo medio tam eminens amoris excessus in voluntate perseueret, ne ad alia dilabatur: cui responderetur, quod amor habeat vim quandam coniungentem, vt inferiora se ad superiora conuertant: superiora autem, vt inferioribus prospiciant, & consulant. vnde humana [voluntas delectata *k* conuiescit in fine iam adepti;] & optimo modo patiendi à Deo accipit: Deus *l* autem potissimum agens, amorem ad instar alarum alit, & sustentat, ne ad inferiora labatur. vt autem hæc euidentiora fiant, consequenter dicitur,

Quod hic Deus sit potissimum agens, mysticus autem patiens.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

Sicut intellectus ab amore excedente foris stare cogitur; ita tandem ipse amor Diuinitati vicinissimè coniunctus: absolutis, sibi que soli, proprijs actionibus, à Deo Optimo Maximo abripitur; vt Deus supra omnia, & potissime agat, voluntas autem pessime agatur. Deus namque vsque ad eò

Eec 2

præ-

a Psal 83. *b* S. Dionys. de diu. nomin. c. 7. *c* Theol. myst. apud S. Bonau. c. 3. p. 4. *d* vt latius hic art. 12. *e* Richard. in l. de Cont. & in Psalm. S. Augustin. S. Thom. &c. *f* S. Dionys. de diuin. nomin. cap. 4. *g* S. Bonauent. de 7. itin. atern. *h* S. Thom. de perfect. spir. vite c. 6. *i* Luc. 10. *k* S. Thom. 1. 2. quest. 3. art. 4. c. 1. *l* vt hic art. 15.

præfens, intima causa est rebus omnibus bonorum omnium, ut ipsemet rebus sit ipsa rerum bona. quod enim & ratione possibile, & simul convenientissimum est, ipse in se Deus implet; & voluntatem sufficienter mouet ut obiectum. [motus enim voluntatis, causatur non tantum à voluntate; a sed etiam à Deo.] unde & patiando delectatur; & [appetitus b quiescit in bono adepto;] [indicibilisq; modo anima rapit, & rapitur, tenet, & tenetur, e stringit, & stringitur, & vna vni per amoris copulam sociatur.]

Sed [dicet mihi aliquis, ergò agimur, non agimus. Respondeo, imò & agis, & ageris. & tunc benè agis, si à bono agaris, Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus d adiutor est: ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis:] supplici nimirum conuersione, & inclinatione summum bonum venerando. [quod autem homo potius e agatur, & patiatur, quam agat;] à Spiritu sancto procedit, qui tunc est principalis motor, & animam agit per auxilium internum, cuiuscunque tandem conditionis, perfectionis, vel eminentiæ illud fuerit. & sic quatenus aliunde mouemur, quodammodo patimur. [virtus enim quæ est actionis f principium, si ab alia superiori virtute moueatur, operatio ab

ipso procedens, non solum est actio; sed etiam passio, in quantum scilicet procedit à virtute, quæ à superiori mouetur.] & ideo qui tam eminenter agitur, agere g vix ille aliquid intelligitur, & tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam, ut illi se commendet, qui male agere non potest.

Ad hunc porrò locum, & diuinæ communionis modum, directè spectant, quæ passim à sacris contemplatoribus, de modo passiuè cum Deo se habendi, subtiliter scripta sunt. & certè ea amoris natura esse videtur, ut [faciat b amantem intrare in interiora amati, & è contra, ut nihil amati, amanti remaneat non unitum;] [quid enim omnia i prædicta (& peracta) valerent; si ea Deiformis operatio non consummaret;] & [verus amator à mentis statu dimotus k Deo non degeret, non autem sua vita, sed amantis tanquam valdè diligenda.] quam perfectè porrò amor hoc loco intendatur, consequenter dicendum est,

* *
*

a S. Thom. 1. p. quæst. 105. art. 4. b 1. par. quæst. 19. art. 2. c. c S. Bonauent. d S. August. serm. 43. de verb. Dom. e serm. 13. de verb. Apost. f S. Thom. 1. 2. quæst. 68. a. 1. g S. Thom. quæst. vnic. de vni. verb. art. 5. c. h S. Augustinus ibid. i S. Thom. 3. sent. d. 27. quæst. 1. art. 1. ad 4. k S. Bonau. 7. Itin. ætern. d. 1. l S. Dionys. de diuin. nomin. c. 4.

Vide

Videlicet in hac passione esse silentium,
quo mysticus quodammodo se habet me-
dio, modo via, & patria.

ARTICVLVS DECIMVSQVARTVS.

Am mysticus sedebit [solitarius, a & tacebit, & leuabit se super se,] [præ cognitione factus absque cognitione, b & præ amore absque amore,] quo enim [ad superiora contendimus, eò magis verba aspectu rerum, quæ sub mentem cadunt, contrahuntur. quemadmodum etiam hoc tempore, in caliginem quæ mentem superat introeuntes, non breuem orationem; sed c silentium, & intelligentiæ priuationem reperiemus.] [Deus enim representatur animæ rationali, non sub ratione alicuius particularis attributi; sed quatenus in se infinitè amabilis est; sub eminentissima, & simplicissima ratione quæ omnes, & d excogitabiles rationes particulares amandi, comprehendit.] [Diuinæ autem mentes, quando post omnem mentis actionis e cessationem, mentium diuino numine permotarum eiusmodi fit cum diuina luce coniunctio, lucem ipsam maximis laudibus afficiunt, omnium quæ sunt detractio: atque hoc ipsum verè mirabiliterque illustrati à beatissima cum ea coniunctione, didicerunt lucem illam diuinam causam quidem esse eorum quæ sunt omnium; eorum autem nihil esse,

vt quæ singulari ratione secreta sit ab omnibus, ac diuinitatem quidem quæ essentiam superat, quidquid tandem sit bonitatis, Essentiæ, Essentia omni superior, nec vt verbum aut vim, neque vt mentem, aut vitam, vel essentiam fas est laudare cuiquam eorum, qui veritatis, quæ veritati omni superior est, amatores sunt atq; studiosi; sed vt eximio modo solutam, ac liberam ab omni habitu, aut motu, vita, visione, opinione, nomine, sermone, cogitatione, intelligentia, Essentia, statu, firmitate, coniunctione sine, infirmitate, denique à rebus omnibus.]

Itaque quando cum ipso Deo in perfectissima amoris actuacione vnum efficiuntur, vacant hic iam diuinæ mentes. diuina regnat vnitas, vnitateque diuina, formatae mentes agunt, affectantque vt benè sint, & bono quodam, essendo fruuntur; idè etiam nec intellectus, nec vita, nec essentia, ita Deo conueniunt, sicut bonum. quia ergò in tali Nunc existentia; ipsum bonum, seu communicatio diuinæ naturæ animam vsque ad eò silentiosè informat; medio quodam modo via, & patriæ se habet mysticus. & [in hac vita f supremo modo fruitionis, quæ est supra fidem, & infra diuinæ essentiæ visionem] viuit. sicut enim prius intellectus post conceptum Dei quidditatum in abstracto, seu pro vt sub eminentissima, & simplicissima ratione omnes possibiles, & excogitabiles rationes

Ecc 3

parti-

a Thren. 3. b Taul. Infit. c. 12. c S. Dion. Theol. Myst. c. 3. d S. Thom. 1. parte. e S. Dion. de diu. c. 1. f S. Thom. 2. 2. q. 180 a. 5. 6.

particulares amandi superexcedit, à gloria maiestatis oppressus fuit, ita ut nullum amplius verbum exprimere posset; sed lumine duntaxat diuino illustraretur suspensus; pari modo ipsa voluntatis actiuitas, supra intellectum exercita, remittere debet: ut diuino amore principaliter agente, ipsa autem passiuè se habente felicius agatur, quam agat. & [effectu amoris *a* qui est mutua inhaesio, & unio,] potiatur: ipsa autem animæ essentia, gratiæ, & ipsius vitæ æternæ sedes, non ut truncus absque sensu; sed sua perfectione, & vita quasi per introreceptionem potentiarum viuat, & in sensu diuino sibi soli proprio modo, eminenter alatur: ita ut tam arcta unio, fiat [actualis *b* perceptio Dei, siue prægustatio quædam gloriæ, pignus, & artha felicitatis æternæ,] per ipsum diuinum percipere, & sentire manens in actione vitæ, post, & supra operationes intellectus, & voluntatis, directè exercitas.

[O quam benè, & optimè est tunc *c* animæ amorosæ? quam serena, quam iucunda, quam vniformia, quam tranquilla sunt omnia tunc in ea? ubi tunc nebula vitiorum? turbines passionum? inuolutiones phantasmatum? varietates distractionum? inquietudo tentationum? nonne à præsentia solis iustitiæ, à conspectu, & ardore, atque fulgore solis sapientiæ, fugiunt omnia illa?] ita ut extra spheram, seu accessum sit rerum impertinentium; & pro eo

tempore, à nulla creatura inter turbati, aut contingi possit inter tempus, & æternitatem diuinitus suspensa. & sic verè, *d* unio mystica se habet medio modo inter duas species, scilicet claræ visionis patriæ, & virtutum Theologicarum fidei, spei & charitatis viæ. & certè si [cognitio hominis in statu *e* innocentia, erat media inter gloriam, & viam,] cur non etiam vique adedò eminent communicatio, & bene-afficientia diuinæ naturæ, & vitalis vita, medio modo viæ, & patriæ suauem mentis excessum constituat? ibidemque, beata vita, in suo fonte viuat? non tam operando, quam accipiendo; vndè & consequenter dicitur,

Tum demum mysticum esse in summo modo huius vitæ, non operandi, sed à Deo accipiendi; tamen ad mensuram doni sapientiæ supernaturalis.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

CVM de fruitionibus diuinis loquimur, magna differentia consideranda est, inter recipere, & operari; imò talis, qualis inter agere, & pati: quæ in exercitio actus perfectionem suam consequuntur, sicut excedentia & excessiua. Vndè licet in nunc præsentis de quo loquimur, [f anima per virtutem amatiuam super omnem imaginem,

a 1. 2. q. 28. a 1. & 2. *b* Gers. tract. 7. sup. Magnif. *c* Dion. Carth. de font. luc. a. 17. *d* Less. de sum Bon. l. 2. c. 1. *e* S. Bonau. f. d. 23 a 2. q. 3. *f* Harph. l. 3. p. 3. c. 24.

nem; & similitudinem, in illam caliginosam nihilitatem suæ cogitationis ascenderit; Deumque sine medio, & secundum totalitatem diuinitatis suæ præsentem habeat:] hoc ipsum tamen contingit passiuè, suscipiendo scilicet perfectissimè, & à sensibilibus formis; aut intellectualibus discursibus remotissimè. quamuis autem in eo Nunc, explicito, & directo actu nihil operetur; attamen [in supremo *a* anima aliquid agit, secundum potentias intellectus, & voluntatis à Deo suscipiendo: sed valdè silentiosè, sicut differt sibilus à clamore.] & subtiliter [diuini *b* odoris iucunditatem, suauitatemque recipit, sancta voluptate completur, & diuino alimento.] & idè etiam totum quod tunc anima agit, non est directè actio; sed sustentia voluntaria, & susceptio optimi agentis in se: quo ita reuerentiali silentio suscipiatur, quod, non in Nunc præsentem; sed postmodum, restituta scilicet operatione intellectus, in formatione verbi Agalmatis, ex pulcherrima specie, cognosci poterit. in hac enim vitali existentia, [vti neque ea quæ ratione intelliguntur, ab ijs quæ sub sensum cadunt, comprehendi, cernique possunt: sic *c* & essentias vincit, & superat, quæ termino caret, immensitas: & mentes, quæ mente superior est, vinitas: & vnum; quod cogitationem superat; in cogitationem nullam cade-

re: & Bonum, quod orationem vincit, nulla oratione exprimi potest.]

Ad hunc porrò summum modum huius vitæ, non operandi; sed à Deo accipiendi, per dona supernaturalium habituum; spectant ea, quæ passim de illa spiritus nostri puritate, qua ex Deo profluxit, traduntur. quæ idcirco tam intimè vnit, quod scilicet sicut [quantum ad receptionem, *d* cognitio dormientis est potior, quam vigilantis; ed quod quiescentibus sensibus interiores impressiones magis recipiat;] ita quoque potentia intellectus, & voluntatis, post proprias, & expressas operationes, Deo potissimum agente, silentiosè ipsam animæ essentiam, à qua gratia, & vitæ æternæ iufluxum suscipiunt, vicinissimè iungantur, vt & ipsæ quodammodo essentia in vitæ communionem conuiuunt; per [gratiam operantem *e* quæ est illa, qua Deus in nobis sine nobis operatur, seu quæ datur ad effectum in quo mens nostra est mota, & non mouens,] iuxta illud, qui spiritu Dei *f* aguntur, hi sunt filij Dei: postmodum tamen vbi intellectualis operatio restituta fuerit, in *g* Agalmate, perfectissima, & pulcherrima specie illius communionis, intellectu operationem resumentem, quod quidem facillimè fit; vnde & consequenter dicitur.

Hunc

a Calagar. Theol. Myst. c. 6. *b* S. Dion. de Eccl. Hier. c. 4. *c* Idem de diu. nom. c. 1. *d* S. Thom. de verit. q. 12. a. 3. ad 1. & 2. *e* 1. 2. q. 111. a. 2. *f* Rom. 8. *g* Hic a. 17. & 18.

*Hunc modum si maneat cum libertate
sensuum, non diu durare.*

ARTICVLVS DECIMVS SEXTVS.

IAm verò cum [amor *a* nil aliud sit
quam stabilimentum voluntatis in
bono voluto,] [voluntas *b* autem pro-
priè sit in intellectu,] vt idè iure me-
ritò in optimo modo huius vitæ à Deo
accipiendi, & passiuo silentio, vtrique
potentiæ, à supersplendenti Bono in-
fluxum, reliquerimus: operæ pretium
fuerit scire, an eiusmodi passiuum si-
lentium diu duret, nec ne. ad quod
respondetur, quod si ipsam vitam con-
templatiuam spectemus prout [om-
nes illas mentis operationes comple-
ctitur, quæ contemplationem, vel
præcedunt, vel concomitantur, vel sub-
sequuntur, diu,] *c* imò tota vita dura-
re; totamque vitam *d* requirere. si au-
tem status siue incipientium, siue pro-
ficientium, siue perfectorum, conside-
remus; ad *e* annos, apud nonnullos et-
iam tota vita durare. si autem inter-
medias sphæras, regiones, dimensio-
nes situsue; & pro vt sapientia diuina in
imaginatione nostra in vestigia, & par-
ticulas quasdam resoluitur: sic ad men-
ses, septimanas, ac diès durare. si autem
vt in exercitio actus, perfectè, & summè
contingit: ad modicum, & vix ad me-

diam horam durare; iuxta illud, factum
est silentium in cælo quasi hora media.
imò in supradictò silentio passiuo (circa
raptum aut formalem Ecstasin,) vix ad
motum aliquot passiuum durare. [nulla
enim *f* actio potest diu durare in sui
summo: summum autem contempla-
tionis est, vt attingat ad vniformitatem
diuinæ contemplationis, & quantum
ad hoc contemplatio diu durare non
potest.] mens etiam in vno actu amoris
continuato variatione, & mutatione
naturaliter delectatur; ita vt non varia-
ta, vix percipiatur ab operante, & nec
delectet, nec animum quietet. & idè
amor vel accenditur, vel renouatur, vel
per novos actus exercetur. hinc etiam
contemplationem in perfecto actu, nò
posse esse diurnam passim *g* omnes
docent, qui de hac duratione scripse-
runt. quia ergò in summo operationis
dictæ [suauitatem internam, quasi futu-
uè *h* hoc est per transitum,] duntaxat
fufcipimus; solummodò etiam [vita no-
stra interdum ad *i* modicum talis est,
qualis vita primi Entis inuariabiliter.] &
[talis est sempiterna vita, quale fuit hoc
k momentum intelligentiæ, cui suspi-
rauimus.] & [prò dolor adèò breuiter
l & momentaneè hac suauitate (scilicet
supremo modo actuata) frui licet,
vt eam priusquam se quis percepisse
sentiatur, amittat.]

Hilce

a S. Thom. opusc. 53. *b* Contr. Gent. l. 1. c. 72. *c* 2. 2. q. 180. a. 8. *d* vt supra p. Dec. 3. a. 3.
e vt sup. Dec. 1. a. 9. *f* S. Th. 2. 2. q. 180. a. 8. ad 2. *g* Cassian. Coll. 1. c. 13. & Coll. 23. c. 5. S. Aug.
l. 7. conf. c. 17. & l. 10. c. 40. Bern. l. de Amor. Dei c. 4. S. Th. 2. 2. q. 180. a. 8. ad 2. Suar. de Relig. 2.
l. 2. c. 10. Th. à IESV. de Cont. c. 10. h. 1. Sanda. Theol. Myst. de cont. super emi. disq. 9. *h* S. Greg. l. 1.
mor. c. 25. & Hom. in Exech. i Arist. k S. Aug. l. 9. conf. c. 10. l S. Bern. in illud Cant. Indica mihi.

Hiscæ iam positis facillimè satisfi-
 obiectiunculæ: num scilicet in dicto
 passiuo silentio, ac optimo modo à
 Deo accipiendi, mysticus sit in statu
 meriti: respondetur enim, quod du-
 rante eiusmodi exiltentia, & vnione;
 [charitas attingat ipsum Deum, vt in
 ipso a sistat, non vt ex eo aliquid no-
 bis proueniat.] quia tamen [amor viæ
 est meritum, (ex eo) quod sit via b qua
 ad terminum tenditur;] & in quolibet
 actu virtutum Theologicarum, in
 gratia exercito sit aliquid per modum
 meriti, & per modum præmij hinc
 [non sine c præmio diligitur Deus,
 etsi absque præmij intuitu diligendus
 sit. Vacua namque vera charitas esse
 non potest, nec tamen mercenaria est,
 quippe quæ non quærit quæ sua sunt;
 affectus est, non contractus; verus a-
 mor præmium non requirit, sed me-
 retur:] sic etiam mysticus meretur in
 somno ex libero arbitrio, aliquantulum
 saltem: cum in somnis possit esse li-
 berum arbitrium, licet [absque d com-
 pleto motu.] & sic saltem in quantum
 inchoatus, licet non completus, erit
 meritorius. & hoc posito multò ma-
 gis in suavi mentis excessu sensibus
 non tam violenter ligatis, quam seda-
 tis, erit talis motus, & meritum. facili-
 tat etiam mysticum actu mereri: quia
 ponimus tantum suauem excessum,
 quo nec foris nec intus quoquo mo-
 do inquietetur; non autem formalem
 Ecstasin, cum excessiua immutatione

corporali, quæ sensus liget, & corpo-
 ris, animalesque motus violenter su-
 spendat: sicut etiam, quod non diu du-
 ret; sensibusque non ligatis fiat. Ve-
 rumtamen si ab amoris vehementi
 progressu sensus ligarentur, & verè
 diuina sequeretur Ecstasis, tum altio-
 res quoque conditiones essent e ad-
 mittendæ. interea [Beatum f dixerim
 & sanctum, cui tale aliquid in hac mor-
 tali vita, rarò interdum, aut vel semel,
 & hoc ipsum raptim, atque vnus vix
 momenti spatio experiri donatum est.
 Te enim quodammodo perdere, tan-
 quam qui non sis, & omninò non sen-
 tire te ipsum, & à temetipso exinaniri,
 & penè annullari, cœlestis est conuer-
 sationis, non humanæ affectionis.]
 iam verò vt constet quæ sit prima di-
 spositio ad resumptionem operationis
 post hunc suauem mentis excessum,
 dicimus consequenter,

*Quod cum hic suavis mentis excessus lumi-
 ne formali ecstático non perficiatur, intel-
 lectus patiens suscipiat speciem resultan-
 tem, ad perfectissimum verbum
 Agalmatis forman-
 dum.*

ARTICVLVS DECIMVS SEPTIMVS.

NON videtur sanæ doctrinæ con-
 sentaneum esse, aliùs de mystica
 perfectione loqui, multo quæ minus
 tutum videtur, potentiam innomina-
 tam (si non figmentum quoddam) su-
 pra

Fff

pra

a S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 6. c. b Less. de sum. Bon. l. 2. c. 14. c S. Bern. tract. de dilig. Deo. d S.
 Thom. 1. 2. q. 113. a. 3. ad 2. e Vt inf. Dec. 9. a. 4. f S. Bern. l. de dilig. Deo.

pra [intellectum, & voluntatem ipsismet & Angelis] negatam, excogitare. Cum itaque in dicto passiuo silentio, sensus non violenter, sed suaviter ligati sint; nec ecstática, multoque minus clara visio subsequatur; in instanti aut modica duratione poterit optimus modus à Deo accipiendi, absolui. & tum quidem intellectus, prius quam voluntas, ab actiuitate propria (super-splendenti gloria maiestatis suspensus) etiam omnium primò restituitur, & coadstantis excessiui luminis summi boni mitiorem, sibi que magis proportionatam recipit speciem, seu pulcherrimum Agalma Diuini Pulchri, & Optimi, in intellectu patiente resultans; vt ex fecunditate intellectus patientis, verbum, seu diuinum Pulchrum, & Optimum intelligendo concipere, & exprimere valeat: eiusmodi autem species, seu Agalma, in intellectu patiente idcirco ponitur, quia [intellectus bagens est qui facit species à sensibilibus acceptas, esse intelligibiles actu,] has autem in præcedentibus operationibus intellectus, sicut & phantasmata rerum sensibilibus, non tantum seruiunt, sed etiam concomitantia: quin imò ipsam purissimam contemplationis formationem; sicut etiam explicitum conceptum essentiae diuinæ in abstracto, deseruit, & vt species insufficientes impares, & inferioris conditionis ad purè spiritualia nihil præ-

stantes reiecit. non enim aliter se habet [intellectus agens ad intellectum possibilem, quam se habet lux ad visum.]

Sed iam quæri potest quo medio, influxu, vel operatione, eiusmodi species in intellectu patiente veniat. ad hoc respondetur primò passiuè recipiendo, ita vt sicut [sentimenta diuinorum tactuum repentinorum d passiuè in anima efficiuntur, sine eo quod ipsa effectiuè aliquid ex sua parte ad ea recipienda concurrat. ita etiam notitiæ ex illis resiliens passiuè in intellectu, quem Philosophi passibilem dicunt, absque eo quod aliquid ex se operetur, recipiuntur,] vitalis autem illa beneficientia amoris supra intellectus expressas operationes; sicut conuenit cum tactu, seu motu voluntatis, quæ subinde Deus absque intellectu eo directo, excitat: sic & ipsa specierum resultantia; species enim non tantum præexistunt, [sed etiam aliquando in mente e resultant:] imò [ex ea ipsa f perceptione Dei, quæ voluntatis est; illustrissima quædam lux quæ intellectus possit excelsius, quam ante, diuina contemplari, disultat.] & tum [diuinæ g virtutis incorruptum, præclarè expressum signum, & simulacrum, ita seipsum figurat & fingit ad pulcherrimam imaginem, (qua scilicet) spiritalem illam, fragrantemque pulchritudinem intuetur.] supplendo vices

a S. Thomas 1. part. quæst. 54. art. 5. b S. Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 96 c Lib. 3. cont. Gent. cap. 45. d Ioan. à Cruc. Ascen. mont. lib. 2. cap. 32. e S. Thom. de Proph. quæst. 12. art. 6. f Calagur. Theol. Myst. c. 4. g S. Dion. de Eccl. Hier. c. 4.

vices intellectus agentis. Secundò verò actiue operando, ita vt [intellectus patiens intelligat per formam quam penes se habet] à resultantia; non enim in notitia illa intellectu superiore lumen spiritum perficiens vnquam desijt: sed inter potentiam puram ad verbum formandum, & actum completum, passiuè suscipiendo, & sustinendo, medio modo se habuit; Deo potissimum agente, mystico autem patiente. [datur enim medium *b* inter puram potentiam, & actum completum.] [actus etiam vitales, & attingunt sua obiecta actiuè, vel passiuè, vel vtroque modo.] ipso itaque instanti quo intellectus à sua suspensione soluitur, intellectus patiens coadstantis supersplendentis diuinæ lucis, & pulchri speciem per formam, quam penes se habet, intelligit; vt ilicò verbum Agalmatis præstantissimum formare possit. & sic [anima humana quantum ad id quod in ipsa *d* supremum est, aliquid attingit de eo quod proprium est naturæ Angelicæ, vt scilicet aliquorum (maximè horum) cognitionem subitò, & sine inquisitione habeat.]

Ad formandum autem verbum Agalmatis eiusmodi [species *e* delectans vt speciosa, suavis, & salubris insinuat, quod in illa prima specie est prima speciositas, suauitas & salubritas, in qua est summa proportionalitas, & æqualitas ad generantem in qua est virtus

non per phantasma, sed per veritatem apprehensionis illabens.] ita vt sicut [illa dispositio qua intellectus creatus ad intellectualem diuinæ substantiæ visionem extollitur, congruè lux gloriæ dicitur per hoc quod facit intellectum *f* patientem actu intelligere.] sic quædam diuinè splendens species, sit lumen mysticum faciens intellectum patientem actu intelligere. dum enim [de illo diuino contemplationis internæ secreto *g* reuertimur, quid nobiscum afferre poterimus nisi lucem; lucem de regione lucis venientes portamus. hoc enim decens, & necessarium est, vt cum à lucis regione venimus ad fugandas nostras tenebras nobiscum lucem apportemus, & quis scire potest quid ibi fecerimus, si illuminati non redimus. vndè qui transacta vnione omnimoda hac certitudine (quæ contingit in immediata perceptione diuina) præditus non fuerit, certissimè sibi persuadeat, diuinam hanc, & fructiuam vnionem, neque summis labijs attigisse, quamuis forsan ardentissimum Dei amorem, suauissimamque dulcedinem in Ecstasi positus degustasse sibi videatur: quia talis vnio esset in affectu tantum, & non in effectu.] [oculis itaque *h* intellectualibus iam apertis, & clarificatis illud videre desiderat, ad quod à Deo tam dulciter allicitur, & inuitatur: tunc ostendens ei Dominus in viuido speculo virtutis

F ff 2

intel-

a S. Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 49. *b* Tertia part. quæst. 11. art. 5. c. *c* S. Bonau. 6. itin. ater. decis. 1. *d* S. Thomas de Synter. quæst. 16 art. 1. c. *e* S. Bonau. itin. ment. c. 2. *f* S. Thomas 1. 3. cont. Gent. c. 53. *g* S. Bonau. de 7. itin. atern. d. 5. *h* Harph. 103. p. 4 c. 29.

intellectuæ seipsum non sicut est in natura, sed in imaginibus & similitudinibus, pro ut illuminata ratio comprehendere, & intelligere potest. nam sic illuminata ratio à Deo sine errore clarè conspicit in imaginibus intellectualibus omnia quæcunque prius de Deo, & diuina veritate scire desiderabat.] vt autem constet præstantiores esse operationes post mentis suauem in Deo excessum, quam antequam ad illam mysticus pertingeret consequenter dicimus,

Quod durante formatione verbi Agalmatis mysticus secundum vtramque potentiam adequatè, & optimo modo huius vitæ operandi, viuat supra affirmationem & negationem, tamen ad mensuram doni sapientiæ supernaturalis.

ARTICVLVS DECIMVS OCTAVVS.

Est ergò Agalma siue species illa post eminentem modum accipiendi vtriusque potentia, primum, & proximum principium, optimo, & perfectissimo modo huius vitæ operandi. à prima enim veritate binæ potentia, intellectus scilicet, & voluntas, fortitæ sunt, vt in vna forma conciliarentur; vndè & affectus, & motus dissensione sedata, placantur. & sic purissimus spiritus, & ad similitudinem substantiæ separata operans, [Diuini a odoris iu-

cunditatem suauitatemq; receptam,] in supradicta passiuitate, in Nunc operationis [sancta voluptate complet, b ac diuino alimento:] totusque animus sub vna intelligentiæ forma viuut; ac tam intimam, & ex consortio diuinæ naturæ tam diuinam communicationem, lumine speciei Agalmatis integrè, & dilucidè apprehendit, ac cognoscit; formandoque verbum, & conceptum Boni intellecti, ipsum bonum spirituali actione distribuit, & distribuendo iucundè fruitur.

Atque hæc est [dignissima, & vtilissima c contemplatio ad quam in hac vita perueniri potest: in qua contemplatiuus sui melius potens permanet, & liber, potestque in quolibet amatorio introgressu in altitudinem vitæ vltra omnem intelligentiæ captum proficere; quia in interno seruore suæ deuotionis, & virtutum exercitijs liber, & sui potens permanet,] & fructuonem quæ ad vim appetitiuam pertinet, [consecutione boni conuenientis, & d cognitione huiusmodi adeptionis] nutrit, sustentatque supra affirmationem, vel negationem. quamdiu enim aliquid explicito actu affirmamus vel negamus; tamdiu bono nondum sufficienter impleti, ipsum bonum vel superaddendo, vel purius in sua natura inquirendo, in nobis ipsis augere contendimus: at vbi gratia, seu communicatio vitæ æternæ in ipsa essetia animæ, (Spiritu

a S. Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 7. b Ibid. c Harph. lib. 3. part. 4. cap. 29. d S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 1. 6.

(Spiritu Sancto magis agente) excitata fuerit, & exinde in potentias intellectus, & voluntatis vitaliter effluerit, utraque potentia primo Pulchro, & Bono integrè plena; non quouis modo acquirendi, sed perfectò modo possidendi, & fruendi viuit; adæquata intellectu, & dilectione; in simultanea cognitione, tam intimæ, ac vitalis amicitia Dei. sic enim [probè a intelligit se benè animo esse constitutum is, qui cum veritate iunctus est.] quia nimirum [vna b ibi & tota virtus est amare quod videas, & summa felicitas, habere quod amas.]

Atque eiusmodi planè operatio substantia spirituali quam maximè grata est; eamque cum primis decet, ut perfectum exercitium, seu actus suæ operationis: mysticum verò bene afficit cõformiter ad fruitionem beatificam, in qua non plus diligitur, quam intelligitur, & contrà, non plus intelligitur, quam diligitur. Vndè etiam sicut visio beatifica, quæ est summa contemplatio, eminentissimè simul est apprehensiva cognitio; ita etiam eiusmodi intuitus contemplationis delectans intrinsecè, & essentialiter includit cognitionem veritatis contemplatæ: qua simultaneæ scit & experitur, sibi in Dei Vitali respiratione, tam benè esse.

Profluit autem hic optimus, & perfectissimus operationis modus, ex eo vel maximè, quod secundum intellectum per speciem Agalmatis quodammodo eleuetur ad pulchritudinem spe-

ciei infusæ: & secundum voluntatem per vitalem amoris vsque ad vitæ æternæ, in ipsa animæ essentia habitantis, ingressum, propè attingat commotiones præuias voluntatis, sine actu intellectus eo directo, à Spiritu Sancto intensissima vitalitate excitatas. & licet tam species infusæ, quam eiusmodi Spiritus Sancti præuiæ voluntatis commotiones, & altioris speciei (quam per donum sapientiæ) conditiones, & singulariori commotionis ordine, dictum perfectissimum operandi modum excedant: quia tamen in eiusmodi modo utraque potentia per lumen, & gustum diuinæ sapientiæ perfectè simul afficitur, adstante simultanea experientia, qua cognoscit se tam supernaturali vita viuere, videntur in effectu. (licet fortè non tam intensè, aut clarè) quid simile præstare, quod species infusæ, vel præuiæ voluntatis commotiones. Ut autem constet [vitam c nostram interdum ad modicum talem esse, qualis est vita primi Entis inuariabiliter.] dicimus consequenter,

Quod eiusmodi adæquata fruitio appropinquet ad beatitudinem patriæ.

ARTICVLVS NONVS.

Nemini mirum videri debet, quod tam perfectam in consortium diuinæ naturæ transformationem, (in exercitio actus) ad beatitudinem patriæ propè accedere dicamus. nam [homo

Fff 3 in

a S. Dion. de diu. nom. c. 7. b S. August. l. 12. de Gen. ad litt. c. 26. c Arist.;

in quantum est contemplatiuus, *a* est aliquid supra hominem; quia in intellectus simplici visione, continuatur homo superioribus substantijs, quæ intelligentiæ, siue Angeli dicuntur.] Deus etiam per tam amicabilem fruitionem [hominibus *b* Angelorum vitam largitur; quam concreti ex multis partibus adipisci possunt.] quia tamen Beatorum, & [Angelorum *c* amor excedit nostrum, saltem quantum ad actum, & operationem;] considerandum erit primò, in quibus viatores per mystica summa exercitia in actu, ad beatitudinem patriæ propè accedant; secùndò in quibus cum beatis conueniant; tertidò in quibus beati, viatores excedant; quartò in quibus viatores, beatis maiores sint.

Ad primum ergò quod attinet, verbū Agalmatis, seu adæquatæ intellectiois, & dilectionis immediatè post suauem mētis excessum, propè accedit ad beatitudinem patriæ. quia tam perfectè adæquata [contemplatio huius vitæ *d* est quædã participatio, & imitatio visionis beatificæ, in qua non plus diligunt quam vident, nec minus vident quam diligunt.] & tum verè est [aliqua *e* inchoatio beatitudinis in hac vita in viris perfectis.] vndè iuremeritò dicitur. [sensi quiddam in me, resplendens animæ meæ, quod si perficeretur in me, dicere non dubitarem id vitam esse æ-

ternam.] & certè si visio, notitia, [seu intellectualis prophetia *g* appropinquat ad visionem patriæ.] quantum magis amor confortij diuinæ naturæ tam perfectè intensus, appropinquabit amori beatifico, cum amor teratur in res, vt in sua essentia sunt: & intellectus in hac persistentia, [sine vilo discursu *h* more Angelorum res diuinas purissima cognitione, percipiat.] nam [speculando, corporis *i* similitudinibus non inuolui Angelicæ puritatis est] vndè & [animi perfecti *k* multorum in vno collatione, & collectione, parem etiam cum Angelis vim intelligendi, quatenus animis conceditur, assequatur.] quin etiam ipsæ humanæ passionis in subordinatione, & corporis alleviatione, quodammodo beatæ sunt. [spiritus enim noster *l* spiritui diuino similis effectus, & vnitus, & per amorem affectus, qualificat etiam, & afficit corpus proprium tanquam suum formabile, seu materiale, per redundantiã spiritus ad corpus. quo fit vt proprium corpus sic habituatum, sic affectum, induat, & generet quasdam proprietates ipsius spiritus, proprijs vel derelictis, vel multum ab actione sua suspensis.] ac tum mystici [in *m* sanctitate vitæ, & hominis interioris contemplatione, & fruitione diuinitatis, iam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur, & imitari: nec non de corporum

a S. Thom. 3. sent. d. 35. q. 1. a. 2. q. 2. a. 1. ad 1. *b* S. Dion. de diu. nom. c. 6. *c* S. Bonau. 4. itin. ater. d. 5. a. 3. *d* S. August. l. 1. de Trin. cap. 8. c. 9. *e* S. Thom. 1. 2. q. 109. a. 2. *f* S. August. apud Iaul. Dominica post Natiu. ser. 1. *g* S. Thom. 2. 2. q. 174. a. 2. c. *h* Et q. 180. a. 6. ad 2. *i* S. Bern. in Cant. Serm. 52. *k* S. Dion. de diu. nom. c. 7. *l* Harph. l. 1. part. 2. c. 101. *m* S. Bern. apud S. Bernau. 7. itin. ater. d. 6.

rum ipsorum glorificatione, quam plenè ibi percepturi sunt, in hac vita nihil percipiunt. Accepta enim illa gratia qua habitantes in vnum seipsis in Deo, & Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis se sentiunt vicisse omnes contradictiones, vè vniuersa substantia carnis, non sit eis nisi instrumentum boni operis. nam etsi ipsius miserijs, & infirmitatibus contabescunt, ex hoc ipso in interiori homine fortius conualescunt; quando enim infirmior, tunc fortior sum, & potens ait Apostolus.] Ex hac porrò superioris in inferiorem partem influentia, tanta in toto composito hominis consurgit beatitudo; vt si ad maiorem in cœlis beatitudinem homo non ordinaretur, & eiusmodi affluentia perseueraret, tam propè ipsam beatitudinem accederet, vt in æternum tam secundum corpus quam secundum animam plenè in Deo, & non in aliquo alio quod est Deo minus, contentus foret. Vndè etiam in tantum pia anima eiusmodi largifluam diuinæ naturæ communionem solet demirari: vt si illam actu non possideret, nec narranti, aut demonstranti, aut alteri à se experto, nec crederet, nec credere posset. est enim in habente tanquam [beatitudo, a & status omnium bonorum aggregatione perfectus.] ad quem omnes reuelata facie b gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in clarita-

tem, tanquam à Domini spiritu: sive [clarius in dies, ac c' clarius, & vsque ad claritatem visionis beatificæ.] subsequatur in altera vita.

Ad secundum verò quod attinet [habitus sunt communes d viatoribus, & beatis, excepto lumine gloriæ;] cuius loco, sapientiæ maximè, vel altiora [dona e nos hic perficiunt secundum quandam inchoationem, & in futuro implebuntur,] iuxta illud Apostoli, videmus nunc per speculum in ænigmate, s' tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

Ad Tertium autem quod attinet, beati, Viatores g excedunt: primò, quia vident Diuinam Essentiam clarè, distinctè, & intuitiue: viatores autem licet quidditatiuè; sed non clarè, ac obscure, & in abstracto, [prout post omnes actiones, & mentis transcendentias, remanet h conceptus entis perfecti.] secundò, quia beatorum intellectus lumine gloriæ eleuatus Diuinam Essentiam videt, non per aliquam speciem, sed per ipsam Dei Essentiam; ita vt [essentia diuina comparetur ad intellectum creatum, vt species intelligibilis, i qua intelligit:] viatorum autem intellectus, ob defectum luminis gloriæ, specie aliqua, qualitercunque tandem sublimi, contentari debet, vt per illam diuinæ sapientiæ vestigia, ac aliquam

a Vt Boët. apud S. Thom. 1. p. q. 26. art. 1. b 2. Cor. 3. c Vt hic Ambr. d S. Thom. 1. 2. q. 50. e 22. q. 8. a. 7. c. f 1. Cor. 13. g De his vide Thom. à Iesu l. 3. de Contr. c. 14. h Gers. de simpl. Cord. rotul. 8. i S. Thom. l. 3. Contr. Gent. c. 51.

quam particulam consequatur. Tertiò, quia beati immutabiliter, & æterna duratione Diuinam Essentiam intuentur, & viator autem etiam ex specialissima gratia, non nisi per transitum, & ad tempus. Vndè solummodò [vita nostra interdum ad *b* modicum talis est, qualis est vita primi Entis inuariabiliter,] & sic [extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem: & si continuetur hoc, *c* & subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, & absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, talis erit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspirauimus.]

Ad quartum verò quod attinet, nonnulli viatores, beatos quosdam excedunt, quantum ad meritum, licet habitus charitatis viæ non possit habere supremum actum sui meriti: quia hic est tantum intrinsecè, & substantialiter perfectior, erit autem in patria quantum ad vsum, & exercitium actus. & eo sensu dictum est, inter *d* natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista; qui autem minor est in cælo, maior est illo. Obseruandum est autem hunc modum meriti, quo alioqui viatores, beatos nonnullos excedunt, non tantum apud Mylticos, sed etiam apud alios iustos inueniri; qui quocunque tandem modo merendi, apud Deum maiores exstiterint.

Iam verò cum in mystico negotio, longè aliud sit mentis regio, circa quã versamur in aliquo statu, eiusque infimo, medio aut summo; & aliud operatio, quæ in instanti, & Hic, & Nunc peragitur, ac præterquam quod singuli status ordinato progressu subdiuidantur; magis tamen semper oculus spiritualis in eo sollicitus sit, vt congruè operari possit: hinc ab infimis operationibus, per medias vsque ad summas, hoc loco præstantiorem mysticum intruere volumus: ac singulariter monere, has operationes ad longum (pro accurato ordine practico intelligendo) deductas, breuissimo tempore, & vix tam diu, vt quis aliquot passus conficiat, perfici, ac consequenter sub vna mentalis orationis horula, aliquoties ab infimis vsque ad medias, & summas operationes hic descriptas pertingit: præsertim cum quis in summo status Transformationis constitutus, aut speciebus infusis, vel præuijs voluntatis commotionibus, à Deo dignatus fuerit. Cum itaque ipsas operationes ad summum deduxerimus, modò videndum erit, quomodò pia anima iterum ab illis deficiat, & ad modos operandi interiores dilabatur, vndè & consequenter dicimus,

Quod quantò magis à tam perfecta operatione ad reflexas, medias aut infimas species contemplatio dilabitur, tantò imperfectius quoque Diuinitas representetur.

ARTI-

a. S. Them. 1. p. q. 12 a, 11. & 2 2 q. 175 a, 3. ad 1. b Arist. c S. August. lib. 9. Conf. cap. 10. d Luc. 7.

ARTICVLVS VIGESIMVS.

Licet [creatura intellectualis quæ Dei substantiam videt, summam immutabilitatem consequatur;] cum tamen nulla actio viatoris diu in suo summo duret, & intellectui sit naturale, rationis species, & phantasia simulachra intueri; & [anima à b contemplatiua vita, infirmitatis suæ pondere victa lassetur, & tantò celerius labatur, quantò magis claustra supergrediens, super semetipsam ire conatur.] ac etiam [intellectus non solum intelligat intelligibile, sed intelligat etiam se c hoc intelligere] hinc [quantumcunque in amore audeat spiritus, cum tamen seipsum animaduertit, d inter se, & Deum discrimen, & diuersitatem sentit.] mentes enim si fortè dum Deum cognoscunt non mediocriter; interim tamen ament aliud, vel mediocriter: statim cum Deo ad aliud mouebuntur. & idè ad qualemcunque speciem, & quacunque de causa dilabatur mysticus, semper ad eius, ad quod prolapsus est, naturam, & conditionem, representationesque proportionatas, suspicit, reflectendo aspicit, & plus minusue afficitur; sicut in specie simplicis intelligentiæ perfectius, quam in ratione, & perfectius in ratione quam imaginatione, vel sensu.

& cum [in intellectu e non remaneat species, nisi quando actu consideratur,] necessariò quantò magis ad reflexas, medias vel infimas species dilabatur, tantò imperfectius quoque diuinitas representatur.

Ad hæc tamen non infertur, amoris intensionem non remanere, aut cum infima aliqua specie vehementer excitari non posse. nam aliquando in minimis magis, quam in maioribus mouemur; & cum nos in amoris diuini schola magis voluntatem quam intellectum consideremus: idè tum [hoc est maius esse f quod est melius esse.] Vndè etiam consequenter dicimus,

Quod sint interim mystico perfecto omnia bona valdè, siue suprema, siue media, siue infima sit operatio.

ARTICVLVS VIGESIMVS PRIMVS.

Iam verò licet quantò mysticus ad inferiores species dilabatur, tantò quoque diuinitas ei imperfectius representetur; hoc ipsum tamen arcani amoris exercitium, & prosecutionem non impedit: quamuis enim [contemplatio g non possit diu durare in suo summo, & prout attingit vniuersitatem diuinæ contemplationis;]

Ggg tamen

^a S. Thom. lib. 2. Cont. Gent. cap. 62. ^b Harph. ex Vercell lib. 1. p. 2. c. 46. ^c S. Thom. de verit. q. 10. de ment. a. 2. ^d Rusbroch. l. de perf. filio. Dei c. 3. ^e S. Thom. q. 10. de ment. a. 2. c. 1. ^f S. Thom. Cont. Gent. c. 43. ^g S. Thom. 22. q. 180. a. 8. c.

tamen quantum ad alios actus contemplationis potest diu durare.] nam [secundum naturæ ordinem propter colligantiam virium animæ in vna essentia, & animæ & corporis in vno esse compositi, vires superiores, & inferiores, & etiam corpus, & anima inuicem in se influunt, quod in aliquo eorum superabundat.] & sicut [primæ b mentes cum scœnore habent Sanctas inferiorum proprietates: sic etiam illas superiorum habent ultimæ, non tamen eodem; sed inferiore modo.]

Quando ergo ad alios contemplationis actus declinat, & intelligibile lumen ex intellectu in rationem, aut imaginationem nostram exuberat, ibique varijs figuris vestitur, hisque adstantibus, aut seruientibus, [Sanctis gradibus mysteriorum initia aspexerimus, ipsque sanctè instituti fuerimus, tum denique & quarum figurarum e exemplaria, & quarum rerum obscurarum imagines sint, intelligemus.] ita vt [aspectus contemplantis res in seipsis considerans videat in eis pondus, numerum & mensuram; pondus quo ad situm vbi inclinatur, numerum quo distinguantur, & mensuram qua limitantur. ac per hoc videt in eis modum, speciem & ordinem, nec non substantiam, virtutem & operationem. ex quibus consurgere potest sicut ex vestigio, ad intelligendum po-

tentiam, sapientiam, & bonitatem Creatoris immensam.] quæ sicut in maximis, ita & in minimis est bona valdè. [si quis e dixerit sensus ipsos, sapientiæ quandam esse particulam, & vestigium, is non aberrabit.] nec in infimis minus libenter, quietè, & ordinatè Deo vacabit; omnia, & singula prout in prima veritate, & bono existant absque delectu, suscipiendo; vt Deus ipsi sit semper omnia in omnibus. sicut eadem videtur esse lux, qua sol, & lucet intus, & foras emicat: emicansque illuminat omnia; eadem rursus qua omnia hæc illuminata tum in seipsis nitent, tum transuerso radiorum iactu resurgunt in alia; tum etiam retro quodam proiectu remicant erga solem. Et sicut [cum s in eadem domo complures sunt faeces, videmus cum vno lumine, omnium lumina coniungi, vnumque splendorem ex se, qui non distinctus est, effundere: neminemque arbitror posse huius, vel illius facis lumen discernere, aut diuidere à cæteris ex aère, qui ambit omnia lumina, nec videre alterum sine altero, quod tota in totis sine confusione temperata sint.] [bona g enim inter se amicitia coniuncta sunt omnia, & consona, atque vna vita propagata sunt, & ad vnum bonum ordine quodam disposita pertinent, blandaque sunt alia alijs, & similia atque communia.]

Et

a De verit. q. 26. art. 10. c. b S. Dion. de Cœl. Hier. c. ult. c Idem de Eccl. Hier. c. 9. d S. Dion. in 1. in. Ment. c. 1. e S. Dion. de diu. nom. c. 1. f Idem ibidem cap. 2. g Idem ibidem c. 4.

Et quia [bonum a particulare habet quod sit appetibile in quantum est similitudo primæ Bonitatis;] & tum conditio, tum ratio meriti huius vitæ, ab influentia abundante ex superioribus potentijs, ad inferiora vlque, & minima sensus, nos dimittant: non nisi supra sortem naturæ, vanè, & inutiliter contenderet quis; si semper in summo contemplationis, pro vt attingit & uniformitatem diuinæ contemplationis, persequere vellet. sicut enim [in centro omnes orbis lineæ vna coniunctione coherent, punctumque ipsum omnes habet in se relictas lineas vno modo coniunctas, & inter se, & cum vno principio à quo prodierunt, atq; in centro quidem penitus coniunguntur; sed ab eo paulùm distat, paulùm etiam diuiduntur, cum autè longius, distant magis; & quò plus ab eo distant, eò plus alijs ab alijs absunt.] ita etiã inferiora, & minima sensus à cetro, propter vltimū similitudinis primæ bonitatis remotissimè quidem distant; sed neque, sicut & linea à centro, & primo Ente interrupta bonitate, scinduntur; at in radice, & continuatione lineæ, vnum sunt.

Apud illos ergò qui præter rerum ordinem, frustra continuò volunt ambulare in mirabilibus supra se, [plerumq; fit, vt à maximū homo repellat, & à maximis sese impediatur in minimis, quod vtique non rectè fit. Deus namq; mo-

ditus omnis est, & modis omnibus æqualiter inest; si tantum æqualiter eum capere quis sciat.] quin imò [e quandò anima ad id perfectionis ascendit, vt Deo perfecte vniatur, tum primum id corpus assequitur, vt omnibus vitæ necessarijs ad Dei gloriam vti possit.] nam [contemplator (scilicet in statibus perfectis ambidexter esse debet, suam cogitationem possidens velut rex præpotens regnum suum, vt scilicet per ipsam cogitationem ad omnes virtutes sine intermissione se declinet, gerens similitudinem secundæ bonitatis diuinæ naturæ semper effluentis cum donis suis ad omnes creaturas.] atque tum demum ad practicū ordinem, & continuū exercitium actus iucunda varietate [ordinatur g charitas, cum mens humana, supra singula quæque requiescere nouit; iuxta sapientiam veritatis, & illuminatæ rationis ex omnibus melitam dulcedinem diuinæ maiestatis, bonitatis, largitatis, charitatis extrahens; cum qua iugiter reuolet in appropriatum alueolum, id est, in ipsam amatum, vnde omnia proflexerunt. Ad hoc enim duntaxat celebratur hæc vicissitudo euolutionis, vt vberiori semper fecunditate reuolet in dilectum.] vtque nec citra, nec vltra petat & tum [h summum bonum accommodatis vnicuique eorum quæ sunt illustrationibus pro sua benignitate colloctet, atque ad sui cognitionem, communionemq;

G g g 2 ac

^a S Thom. Cont. Gent. l. 3. c. 24. ^b Vt sup dec. 1. A. 2. ^c S. Dion. de diu nom. c. 5. ^d Taul. pag 670. in Instit. D. Eckar. ^e Idem serm. 1. in Vigil. Phsch. ^f Harph. l. 3. p. 4. c. 30. ^g Ex lib 3. p. 3. cap. 17. ^h S. Dion. de diu. nom. c. 1.

ac similitudinem quæ esse potest, Sanctas mentes excitat, eas quæ cum ipso, quantum licet, sanctæque coherent, neque ad superiora quam diuinum lumen convenienter datum ferat, cum non possint, insolenter contendunt: neque ad inferiora malis succumbentes iactantur, sed constanter, & sine vlla inflexione in radium sibi lucentem aciem mentis intendunt, moderatoque illustrationum quæ lucent, amore, cum sacra religione modiceque ac piè sursum volant.]

Tandem [a sapientiæ donum triplicem continet actum, Primus est diuinorum clara cognitio, Secundus iudicialis de omnibus discretio, Tertius dulcis affectio, seu saporosa degustatio.] in primo autem actu tum verlatur mysticus, quando purè, & supra affirmationem, aut negationem in Deo viuit; in secundo verò, quando, non nihil ad reflexas noticias dimittitur; in tertio autem quando in inferioribus, & minimis quibusuis diuino quodam gustu ei sunt omnia bona valdè & sic [cui ea quæ sunt b naturæ suæ propria, seruâtur inuiolata; ei etiam diuinæ omnis harmoniæ, sacrique decoris sunt plena.] & tanquam in statu innocentiz, in quo nulla mala, sed omnia bona erant, Dei bonitatem suscipiet, nec timorosa abstractione opus habebit; sed de bono in melius, de meliori in optimum semper sua fruitione penetrabit. quod qui nondum præstare potest, is

nequaquam momentaneæ dispositus, & capax est, vt eius velle c & posse vnum valeant; omniq; instanti pro hic & Nunc Deo reali fruitione vñiri dignus sit. sicut enim [firmamentum d & sub eo posita sidera errantia, maximè sol, rebus terrenis omnibus lucem adferunt; & quemadmodum ex calore, quem firmamentum & planetæ interioribus rebus creatis ministrant, & communicant, cuncta viuunt, & increscunt.] sic etiam [optimus e modus hic est, vt nullam penitus electionem siue opinionem habeamus; adeò vt si in presentiarum vel excellentissimi simus, ilicò vel minimi esse possimus, eoque nos tanta cum simplicitate accommodare atque conuertere, ac si melius aliquid nunquam vel agnouissemus, vel habuissemus: & è conuerso, vt ab infimis ad suprema parati simus.] & tunc perfectè quidem, beatæ mentes cum diuina voluntate concordēs, mensura dari muneris contentæ viuunt, summaque repetunt, vndè & consequenter dicitur,

Quod mysticus perfectus fruitionem facillimè reassumat per nouam formationem verbi mystici, cuiuscunque speciei.

ARTICVLVS VIGESIMVS SECUNDVS.

A Pud illos ergò, quibus sūt omnia bona valdè, & qui pro cōsuetudine exercitatos habēt sensus: licet non tan-

a Dion Carth. tract. 2. de don. spir. S. cap. 9. b S. Dion. de diu. nom. cap. 2. c Vt inf. sic. 7. a. 3. d Rusbroch. lib. de regn. Deum amant. c. 26. e Taul. Instir. c. 34. f Hebr. 5.

tantum [vniformitas a diuinæ contemplationis non diu possit durare in suo summo;] sed neque [alia b amoris motio, seu eius actualis amatio; quin in nobis quandoque quiescat, & finiatur:] attamen cum [homines c perfecti & absoluti ab omnibus, ab inuersione nunquam recedant, nisi quantum vel humana fragilitas, vel mutabilitas temporis exigere videtur, ob quam ista momentanea coruscatio breuissimo quodam spatio interim interrumpitur.] hinc [d perfecti amici Dei semper in quodam præsentis Nunc consistunt, & neque præteritis, neque futuris inordinata cum sollicitudine intendunt, & occupantur: Deum verò ita in minimis, sicut in maximis obseruant;] ita ut [e præclaræ contemplationes ex omnibus intelligi, spectarique possint.] [amor enim qui est in appetitu intellectiuo, importat quandam vnionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo vt vnum sibi, vel ad se pertinens, & sic mouetur in ipsum.] & sic facillimè arcani amoris aliqua operatio, cuiuscunque tandem situs, regionis, vbi, modi, speciei, aut conditionis fuerit, resumì potest. [huius enim amoris affectio tantæ g mobilitatis est, quod sicut in aspirationibus, & respiratione anhelitus, sine omni deliberatione procedit emissio, vel immissio:

sic sine omni deliberatione affectus ingnitus, qui est super omnem intellectum, in illum tendit, cui soli perfectiùs vniri desiderat, & actionem suam ab omni intelligentia totaliter separatam habet: tanta latitudine & promptitudine à parte superiori coadiutus, vt mira velocitate motuum citiùs quam cogitari valeat, instar aspirantis, vel respirantis consurgat.]

Qui ergò [sua h rectè oculis ab omni perturbatione liberis consideraue- rit: is obscuras quidem ignorationis tenebras fugiet, Dei tamen perfectissimæ coniunctionis radios ipse, non per se desiderabit; sed sensim ac pedetentim, à primis suis ad ea quæ etiam peiora sunt, progredietur, & per illa ad prima omnium, tumque numeris omnibus absolutus, ad summa Diuinitatis ordinatè sanctèque perueniet.] [Deus enim i mentes, in quibus fuerit, expiat primum, deindè illustrat; illustratasque perficit, ad diuinam similitudinem, & imitationem.] atque ita cum per bonos vniuersi gradus, gradatim in meliùs aliquid, potentiùs, simulque simpliciùs ascendamus, paulatimque multitudinem congregemus in vnum; necesse est ad vnum denique peruenire, simplicissimum, optimum, potentissimum, idque illæsum, atque prorsus in- perturbatum. [Diuinæ enim k mentes in simplici natura pacis, cum suis notionibus, & perceptionibus coniungun- tur

Ggg 3 tur

a S. Thom. 2. 2. q. 180. a. 8. ad 2. b S. Bonau. 4. itin. iter. d. 5. a. 3. c Taul. instit. c. 28. d Ibid. c. 37. e S. Dion. de Cæl. Hier. c. 2. f S. Thomas 2. 2. q. 27. a. 2. c. g Harph. l. 3. p. 1. c. 8. h S. Dion. de Eccl. Hier. c. 3. i Ibid. k De Diu. nom. c. 11.

tur etiam cum ijs quæ intelliguntur, rursusque ascendunt ad incognitam eorum, quæ mente superiora sunt, coniunctionem. hac animi suas omnium generum rationes coniungentes, & ad vnâ mentis puritatem colligentes, progrediuntur congruenter, sibi via & ordine per materiæ experientiam, indiuiduamque intelligentiam ad intelligentiam superiorem coniunctionem.] [Cum autem per eiusmodi frequens exercitium in amore vnitio mens confirmata fuerit, ac per ingenitas flammigeras amoris affectiones, vel aspirationes supra seipsam cetera dilecti sui subleuata; citius quam cogitari posset, sine omni cogitatione præuisa, vel concomitante, quotiescunque placuerit in die, vel in nocte; centies, vel millesies in dilectum afficietur, ad illum totum possidendum, innumerabilibus desiderijs aspirando, in quantum admittit valetudo corporalis.] que vt non tantum indiscretè non ledatur; sed vt conformiter ad silentes operationes substantiæ separatæ procedatur; [oportet omnem intelligentiam, & h considerationem deficere; & tum oculus simplex amatiuam virtutem sim-

pliciter post tractum Dei deducit; ad eò vt mens hominis de cetero sui ipsius potens non sit. Et istud toties contingit, quoties sol iustitiæ oculum nostrum simplicem, post se trahit in suam immensam claritatem, vbi Deum & omnia sine discretionem, & considerationem simplici intuitu in diuina claritate contemplamur.]

Et certè huius vicissitudinis & paulatim perficientis. [comatationis ignorantio semper causa est ei qui ignarus est, sui diuisionis, ac distractionis;] seu [malum, & imbecillitas, propria accommodataque bona adipiscendi, & ab eis prolapsio.] ea propter sedulo ac diligenti cura in praxi diuersarum specierum conditio, & proprietates obseruanda est, vt talem ordinatè attingat, quæ in præsentem Nunc non taliter qualiter; sed vitale beneque affici, contineat, fruitionemque, seu amantis in amato quietationem causet, foueat, renouetque perfectius continuè. & hisce abundanter quidem de operationibus particularibus dictis, consequenter ad statum mysticorum ordinatam prosecutionem, redeundum erit.

a. Harph. l. 3. p. 1. c. 8. b. Idem. c. 6. Dion. de diu. nom. c. 7. d. Ibid. c. 4.

SEXTVS STATUS MYSTICVS
EST TRANSFORMATIONIS
ET PRIMO
MODI DESCENDENTIS

DECISIO SEPTIMA.

Ordinatè, & satis fusè explicatis operationibus, verbis seu loquutionibus prout in actus exercitio supremo modo huius vitæ per dona supernaturalia intellectus, & maximè sapientiæ, formari solent: ipsos iam status supremos, suo quoque ordine prosequi oportet. Vndè dictis ijs quæ a minora sunt status vnionis; ad maiora quæ ad statum Transformationis directè pertinent, progrediemur de statu autem Transformationis, licet à mysticis hinc inde mentio fiat: non tamen sat accuratè eius & natura, & ab alijs statibus differentia ad practicum exercitium ponitur. quæ enim hunc statum propriè, & directè concernunt; confuso ordine, sæpè per verba vnionis explicantur. eapropter deinceps de statu Transformationis, eiusdemque duobus potissimum descensus, & ascensus, modis, dicendum est. & quidem.

- I. Quid sit Transformatio mystica propriè.
- II. Quod Transformatio mystica sit duplex, videlicet modi descendens & modi ascendens; ac quanam sit modus descendens.
- III. Quod Transformationis modi descendens velle, & posse cum sint vnum, peragatur ordinariè suauitatis excessu.
- IV. Diuinorum quantumcunque præstantem animum à supremis per medias ad infimas fruitionis regiones paulatim descendere.

ARTI-

a Ioan. à Cruc. de obscur. noct. in Prol. & sup. dec. 3. b Idem in Prol. vniuers. flamm.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Transformatio mystica propriè.

CVM de propria Transformatione fit sermo, longè absit error quorundam, quo opinati sunt, animam hominis à proprio esse desinere, & in ipsam diuinam essentiam transire, sicut etiam vt insufficiens transformatio habeatur, qua [agens per intellectum agit per formam intellectus:] & intellectus per intellectionem transformatur, & fit ipsa res non quidem naturæ conformitate, sed repræsentatione: talis enim contingit *b* in omni operatione intellectuali, & speculatiua. nos ergò per propriam transformationem mysticam intelligimus, arctissimam illam vniionem, in qua per amorem, diuinorum summè amans, vnum fit cum amato, ipso scilicet Deo, vt Summo Bono, idque perfectissimo, & substantiæ separatè maximè conformi modo; quo *c* reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatè, tanquam à Domini spiritu; quo ita *d* efficiamur diuinæ consortes naturæ, non quidem Transformatione substantiali, sed impressiua. [forma enim animæ *e* Deus est, cui debet imprimi sicut sigillo signatum.] & [sicut foscule spiramen se permiscet, vt vnus anhelitus iudicetur: sic Spiritus Sanctus nostro spiritui dulciter immixtus, fit vnus spiritus cum eo.] & hoc est illud spiracu-

lum *g* vitæ, quo factus est homo inanimam viuentem. de quo etiam Apostolus gloriatur, dicens *b* viuo ego, non iam ego, viuit verò in me Christus.

Est ergò Transformatio in actuali exercitio, vsus doni habitus sapientiæ, quo mysticus diuinæ factus consors naturæ de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu, perficitur, & in charitate magis radicitur: ita vt in eiusmodi felicitate inueniatur perfecta ratio possessionis mysticæ; ad quam quidem nihil aliud requiritur, quam vt res ita habeatur præsens, & in potestate possidentis, vt possit ea vti, & frui pro suo desiderio: & omne commodum, & oblectamentum ex ea percipere, quod ex ea capi potest; sicut fit in auditu symphonix; secus in visione pecuniæ. eiusmodi porrò mysticum oblectamentum ad libitum in statu Transformationis ordinariè haberi, cum eius velle, & posse sint idem: dictum est *infra*. hic verò consequenter dicemus,

Quod Transformatio mystica sit duplex, videlicet modi descendenti, & modi ascendenti; ac quanam sit modi descendenti.

ARTICVLVS SECUNDVS.

DVPLICEM esse modum transformationis, scil. vnum, quo descendere dicitur

a S. Thomas l. 1. cont. Gent. c. 94. *b* Vt communiter Philosophi. *c* 2. Cor. 3. *d* 2. Petr. 1. *e* S. Bonau. Proce. 7. Relig. cap. 73. *f* Harph. lib. 3. part. 3. cap. 24. *g* Gen. 2. *h* Gal. 2. *i* Hic art. 3.

dicitur ex alto ad inferiora, per intermedia: & prout Deus est terminus à Quo, intrinseca fruitio originem, & spiraculum vitæ haurit: & alterum, quo ab inferioribus per intermedia, ad superiora, & prout Deus est terminus ad Quem; scilicet vota, conatus, & fruitivæ quietis appetitus, tendit; ex mysticorum monumentis satis constat. præsertim si obseruetur per verba supremæ unionis, illa esse intelligenda, quæ propria sunt status Transformationis; idque non tantum in actu transeunte; sed etiam in statu permanente.

Itaque *b* [sicut lumen diuinum gradatim decrescendo in nos descendit gradatim: ita contrario modo per ipsum lumen in Deum reducimur gradatim & crescendo. vt psalmo 83. dicitur, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.] [charitas enim ad superiora tendit, vt in eis requiescat; ad inferiora tendit, vt ea adfereducat: sursum mouetur, vt illic maneat, deorsum, vt redeat.] in quorum consideratione cogita catenam varijs contextam luminibus, quasi annulis per totum cælum diffusam, & ad terram vsque porrectam. catena verò hæc est ordo seriesque rerum diuinæ prouidentia, parens: series, inquam, luminum partim quidem inuisibilem, partim etiam visibilem. Quia nimirum [in omnibus Deus noscitur, *d* & sine

omnibus: scientiaque Deus cognoscitur & ignoratione: estque eius & notitia, & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & visio, & nomen, & cætera omnia: & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur. & nec animo cernitur, nec sub sensum cadit, nec est quidquam penitus eorum, quæ sunt.]

Iure merito ergò [detractiones siue e negationes, contra, ac affirmationes laudandæ videntur. illas enim à primis orsi, & ad extrema per media deuenientes, ponebamus. hic autem ab extremis ad prima & principalia ascendentes, omnia tollimus, vt sine integumentis cognoscamus ignorantiam illam quæ ab omnibus rebus, quæ scientia comprehenduntur, in ijs quæ sunt, occultatam esse: caliginemque illam cernamus essentia superiorem, quæ ab omni luce, quæ in rebus inest, occultatur.]

Atque ita [ad summam amorosam, & nobilissimam contemplationem, quæ etiam raptum, & ecstasin causat, dupliciter pertingit homo; primò excitando se per abstractionem, *f* & per considerationem eorum, quæ magis feruorem prouocare, & parere solent in animo, donec apex voluntatis valida accendatur, ac purè efficiatur in Deo:] sicque vertex intelligentiæ desuper illustretur ad contemplandum modo præfacto. ad quod Sanctus Diony-

H h h sius

a vt hie supra ex Ioan. à Crusc. *b* S. Thom. opusc. de Humil. Christ. post init. *c* S. Bonau. q. 1. in. etern. d. 5. art. 3. *d* S. Dionys. de diu. nom. c. 7. *e* idem Theol. Myst. c. 2. *f* Dion. Carth. de font. luc. a. 14.

sus respicit dicens: [tu autem Timothee charissime, sensus *a* relinque, & intellectuales operationes.] Alio modo [homo pertingit ad contemplationem istam absque suo *b* conamine, & præparatione prædicta, dum scilicet misericordissimè desuper præuenitur atque diuinitùs fortiter illustratur, valdè inflammatur, gratiosissimè præoccupatur, ac mirabiliter nimis perstringitur, in tantum, vt etiam resistere nequeat: & quamuis velit, non possit effugere gratia prædominante ipsi naturæ, non violenter, sed conuenientissimè.]

Fundatur porrò horum modorum differentia in dono intellectus, & maximè sapientiæ, eò quod [*c* donum intellectus sit propriè penetratiuum; donum autem sapientiæ sit propriè saporiatiuum.] hinc etiam vterque modus circa primum centrum per consortium diuinæ naturæ, circumuolutiones suas peragit. & quidem descendens supra affirmationem tanquam vitali, & quasi connaturali gustu diuinam vitam possidet; in eaque gaudet, & omnia prout sunt bona valdè in primo suo principio, constringit, & fruendo dilatatur, in dilectione crescit, nutritur, & uiuit. vndè etiam Deum possidet vt Terminum à Quo, omnis scilicet sua actualis felicitas, egreditur abundantissimè; totam capacitatem spiritus, animæ, & corporis adimplens, & nunquam, nisi fortè per accidens, relapsum ad soleita-

tem spiritus, & carentiam amicabilis amicitia Dei, patiens. ascensus verò supra negationem illimitatis viribus, ad infinitum Pulchrum, & Bonum, insatiabili, ac infatigabili modo se erigit, extendit, ac magnificat: & Deum vt Terminum ad Quem, inexhaustibili modo supra omnem viuentem, concipit, intuetur, ac possidet.

Et quia nemo *d* ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo: qui enim *e* descendit, ipse est qui & ascendit supra omnes cælos vt impletet omnia; prius de statu Transformationis modi descendenti agendum erit. sicut enim status vnionis tanquam primus ascensus modi supernaturaliter operandi, post rigidam illam priuationem ex toto *f* absolutam, mysticum ad summa vsq; & ad statum Transformationis eleuatus, ita modo status Transformationis descendenti, & maior radicatio in charitate, & respiraculo vitæ æternæ, perseveranter, & sine interruptione, aut relapsu ad soleitatem sui ipsius durans, statum vnionis excellit: sicut linea centum passuum, lineam decem passuum.

Transformatio itaque modi descendenti est vsus in actus exercitio doni habitus sapientiæ, quo diuina factus consors naturæ de claritate *g* in claritatem tanquam à Domini spiritu perficitur, & secundum adæquatam fruitionem dilectionis, & cognitionis sic potest sicut vult, & sic pleno benè in Deo
affici

a S. Dion. Theol. Myst. c. 1. *b* Dion. Carth. ibid. *c* S. Bonus. Diata salutis. 6. de 7. don. spir. 8. 6. 3. *d* Ioan. 3. *e* Ephes. 4. *f* supra Det. 3. a. 6. *g* 2. Cor. 3.

affici vult, sicut potest: idque ordinata intentione maioris radicationis in charitate. & ideo in hoc statu Deus est sicut Terminus à Quo, scilicet respiraculum vitæ, seu vitaliter diuinum affici, per actualem vsum charitatis suam originem sumit, vt ex eo, ceu ex viua radice intellectus agens absque vilo negotio, imò summa, & quali innata facilitate species pro Hic & Nunc proportionatas desumat, ad formandum verbum mysticum in intellectu patiente, quousque & huius & illius operationes, per superexcedentem amorem conquiescentur. idque tam diu, totque annis; donec à summa spiritus regione, per mediam, ad infimam, eiusque vltimas abyssos descenderit. vt autem Transformationis descendens felicitas penitus intelligatur, dicimus consequenter,

Quod Transformationis modi descendens velle, & posse cum sint vnum, peragantur ordinariè suani mentis excessu.

ARTICVLVS TERTIVS.

DVpliciter [amor diuinus a ecstasi facit, non sinens amatores esse futurus; sed in ius eorum quæ amantur penitus transferens.] primò quidem, cum ita affectus & cogitatio amantis transfertur in dilectum, vt sui, & rerum suarum obliuiscatur, suaque omnia negligat. tunc enim anima cogita-

tione, & affectu extra se egressa, tota in rebus dilecti versatur, vt iam non in suo corpore, & in se viuere videatur, sed in dilecto. & dilectus in ipsa. hoc modo diuinè dictum ab Apostolo. viuo ego, non iam ego, viuit verò in me Christus. ita enim cogitatione, & affectu erant in Christo, & Christi causa; vt eorum quæ ad sua commoda, honorem, vitamque pertinerent, prorsus videretur oblitus. Alter modus quo fit Ecstasis vi amoris, est, cum ita mens in Deum per contemplationem, & amorem trahitur, vt functiones virium inferiorum, præsertim sensuum, cessent: sic vt homo non videat, nec audiat, nec sentiat quidquã, & interdum etiam vitalis facultatis operatio ita intercipiatur, vt vix discerni possit an adhuc viuat. hoc modo multi Sanctorum vi contemplationis, & amoris, perfectam, & mysticam ecstasin passi sunt.

Quia verò etiam absque amore diuino, sola vi contemplationis huius secundi modi, ecstasis fieri potest; idque ex imperfectione quadam, & imbecillitate naturæ: quando sc. tota eius vis expenditur, & veluti exhauritur circa aliquod obiectum; vel quando vires inferiores destituuntur spiritibus ad functiones earum necessarijs, dum hi omnes sursum trahuntur, vt imaginationi, & contemplationi illius obiecti seruiant: nos supra b de Ecstasi fucata, & dolosa; infra c autem de vera, mystica & sancta, ad praxis cautelam dicere volumus.

H h h 2

Iam

a S. Dion. c. 4. de diu. nom. b 1. p. Dec. 7. a. 7 & d. 8. a. 2. c Lec. 9. a. 4.

Iam verò & quidem hoc loco de primo modo ecstasis, seu prout ordinariè fit suavi mentis excessu, intelligendi sumus. verè namque in toto statu Transformationis modi descendentis, licet vel decem annis duraret; [diuinum lumen benignè semper *a* mentis oculis patet, & eis illud capere licet; cum præsens sit, paratissimumque semper ad sua communicanda omnia.] & cum [aliqua inchoatio *b* beatitudinis sit in hac vita in vitis perfectis.] nunquam eiusmodi felicitas, si ordinarium attendatur, & prout habitus dat facilè, & delectabiliter operari; verius, ac realius quam in statu Transformationis modi descendentis contingit.

Ibi enim cum [sponsi *c* amplexibus anima deuota inhianter inhæreat, incipit inter eius brachia quodammodo consopiri; sicut potatus nobili vino in soporem resoluitur, vt non solum delectabiliter; sed & tenaciter Deo inhæreat, & quasi vi quadam abstrahatur ab omni visibilibus sensu, & memoria; sic tamen temperatè, vt nec plenè suimet oblita, nec tamen verè compos sit sui, iuxta illud Psalmi. si dormiatis inter medios terminos cœli, & mundi. Item Cantic. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat, est enim talis iste somnus, sicut illorum qui incipiunt dormire, & tamen videntur sibi ea quæ circa se fiunt aliquo modo sentire, & intelligere. sed per soporem non aduertunt, nisi velint sibi vim facere, vt ad se plenius reuer-

tantur. amor enim Dei cum pura intelligentia conditus, inebriat mentem, & ab exterioribus abstractam sua virtute Deo conglutinat, & coniungit, & quantò amor vehementior, & intelligentia lucidior, tantò validius in se mentem rapit, quousque tandem omnium quæ sub Deo sunt plenè oblita, in solo diuinæ contemplationis radio liberè figatur, licet breuiter quasi in quodam coruscæ luminis cœlitus emittentis. quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa simul cogitantem.]

Et certè [cum cœperit *d* mens per puram intelligentiam semetipsam excedere, & illam incorporeæ lucis claritatem tota intrare, & in his quæ intrinsecus videt, quendam intimæ suauitatis saporem trahere, & ex ea intelligentiam suam condire, & in sapientiam verrere. in tantum in hoc mentis excessu pax illa, quæ exuperat omnem sensum, inuenitur, atque obtinetur; vt fiat silentium in cœlo quasi hora dimidia. ita vt contemplantis animus nulla alterantium cogitationum tumultuatione turbetur: nihil inueniens, quod vel per desiderium petat, vel per fastidium arguat, vel per odium accuset, sed intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur, intromittitur in quendam affectum multum inusitatum, introrsus ad nescio quā dulcedinè quæ si semper sic sentiretur, profecto magna

a S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2 p. 3. *b* S. Thom. 1. 2. q. 3. a. 5. c. *c* S. Bonau. 7. Proress. Relig. c. 14
d Hugo de S. Vict. l. 2. de Anim. c. 20. & S. Bern. ser. 3. in Cant.

magna felicitas esset; nihil sensualitas, nihil illuc agit imaginatio: sed omnis interior vis animæ proprio interim videtur officio. purior autem animæ pars in illud intimæ quietis secretum, & summæ tranquillitatis arcanum felici iucunditate introducitur. viuus quidem sermo est Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiti, ita ut pars inferior componatur ad summam pacem & tranquillitatem, pars autem superior ad gloriam, & iucunditatem.]

Eiusmodi porrò iucunditas, tanquam beatitudinis quoddam gaudium formaliter consistit in quadam vitali suauitate, quæ ex amore ad præsentiam boni amati per modum passionis resultat; & est tanquam complementum motuum animi, & vltima perfectio. ut ideò tantum ament quantum vident, & tantum gaudeant quantum amant. Et cum [in perpetuis a (circa quæ mysticus hoc loco circumuolutiones suas iucundissimè perficit) non differat esse & posse.] oportet utique velle, & posse, diligere, & intelligere, omninò paria, & inter se commensura esse. [velle autem b quod Deus vult, hoc est iam Deo similem esse; non posse velle nisi quod Deus vult, hoc est iam esse quod Deus est, cui velle & esse id ipsum est. & his potestas data est filios Dei fieri, non quidem ut sint Deus; sed sint tamen quod Deus est.] ac demum [per sui c puritatē homo ad eò in Deum supra terrena omnia iuxta quandam similitudinem An-

gelicam rapitur, demergiturque, sicque intus Deo depingitur; ut quidquid foris suscipit, diuinum in ipso reddatur ob hunc animi raptum; ut siue comedat, siue bibat, siue dormiat, siue vigilet, aut quidquid demum agat, cuncta ad summam Dei laudem, & gloriam perficiat.] atq; [hisce hominibus d nulla est reuelatio necessaria, neque supra sensus rapi habent opus: quandoquidem vita, conuersatio, & habitatio eorum supra sensus, & portionem sensitiuam, in spiritu agitur:] non quidem violenter, & cum formali ecstasi, sed suauis mentis excessu. quo [mens contemplantis tam profundè in Deum subleuatur, quod ipsa viuacitas intelligentiæ e diuinitus irradiatæ metas humanæ industriæ transcendat, licet tamen in mentis alienationem non transeat. ita quod, & supra se sit quod videat; & tamen ab alluetis panibus non secedat

Iam verò singulariter obseruandum venit, quod quando dicitur mysticum sic posse sicut vult, & quod sicut velle, sic & posse adiaceat; hoc non esse intelligendum quasi ipsius velle & posse adæquemus diuino posse, & velle; sed solum in actu mystico: & hoc non simpliciter, & absolute; sed quando dono sapientiæ supernaturalis à Deo dignatus, & ad operationes substantijs separatis conformes admissus fuerit. quæ omnia etiam secundum actus exercitos, & transeuntes, semper accipienda, & intelligenda sunt; non autem secundum

H h h 3

a S. Thom. cont. Gent. l. 2. c. 91. b S. Bernar. epist. ad Frat. de mont. c Taul. serm. 2. in Parase. d Rusbroch. de orn. spir. nupt. l. 2. c. 38. e Harph. l. 3. p. 5. c. 37.

dum supremam, aut mediam spiritus regionem aut habitationem; unde etiam consequenter dicimus,

Diuinorum quantumcumq; præstantem animum, a supremis per medias ad infimas fruitionis regiones paulatim descendere.

ARTICVLVS QVARTVS.

PRæter ea quæ supra dicta a sunt, aliud ad præsens non facit, nisi ut mysticus absque timore alicuius imperfectionis, securè, & quietè fieri sinat, quod summa illa, & ineffabilis, spiritus proprii in spiritum diuinum transformatio, modi descendens, quandoque deficiat: & ordinatè per medias ad infimas regiones descendat; nec ex eo dubitandi ansam accipiat, quod status hic in suo fortè summo ad duos, vel etiam plures annos perseverauerit, & totidem in medio, ac tandem magis ac magis ad infima descendat. huius enim vicissitudinis *b* ordo spirituales perfe-

ctum quam maximè facit, & in reali praxi, ac omnimoda Dei sequela ad oculum patet illis mysticis, qui spiritum Domini supra omnia habere conati fuerint.

Interea verò tam felix, atque amicissima diuini consortij familiaritas, cum ex dono habitus supernaturalis procedat, ita ut ea mysticus ad libitum, (licet non semper æquè intensè, & à materialibus abstractè) uti, & frui possit, & continuò in quadam Dei obumbratione versetur; nullatenus permittit ut diuinorum patiens, ad propriam sui ipsius sollicitatem, seu molestam, & quasi dilacerantem amoris carentiam decidat; nisi fortè peraccidens, & rarò admodum. vnde hoc loco pro maiori notitia tantum insinuari debuit, illam, in statu præsentis rarò contingere. Hisce porò de statu Transformationis modi descendens breuiter dictis, ad statum

Transformationis modi ascendens, procedendum erit.

a *Dis* art. 2. *b* *Sup. dec. 1. art. 8. 9. & 10.*

SEXTVS

SEXTVS STATUS MYSTICVS EST TRANSFORMATIONIS,

ET SECUNDO

MODI ASCENDENTIS.

DECISIO OCTAVA.

LICET inexpertis alta videantur, quæ modo de Transformatione affirmatiua diximus; præstantiora tamen esse quæ in Transformatione negatiua fiunt, ex sequentibus constabit. Et

- I. *Quid sit Transformatio modi Ascendentis.*
- II. *Quod Transformatio modi Ascendentis habeat ordinariè relapsum à spiritu diuino.*
- III. *Quod modus Transformationis Ascendentis, magis sit perfectus quam modus Descendentis.*
- IV. *Quod Vicissitudo Descendentis, & Ascendentis Transformationis in hac vita sit sufficiens ad maiorem radicationem in charitate.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Transformatio modi Ascendentis.

AD ipsam naturam status Transformationis pertinet, quod sit vñs doni supernaturalis sapientiæ, quo mysticus diuinæ *a* factus confors naturæ, de claritate *b* in claritatem tanquam à Domini spiritu perficitur, & in charitate magis radicitur: verùm quod frequenter carentiam fruitionis, & relapsum ex spiritu diuino, ad proprium spiritum patiat; non tamen cū tædio-

sa inibi soleitate, licet absq; vitali benefici; in sensibili ausem parte quodammodo dilacerari videatur, hoc ad modum Transformationis ascendentis facit, eumq; constituit, & sic describi potest; Transformatio modi ascendentis, est diuinus splendor in spiritu humano, ex habituali dono sapientiæ ardens, & lucens, ordinatè etiam lumen, & vitale in Deo benefici subinde obtenebrans; atque ab infimis, per medias, ad supremas vsque mentis regiones, moderato ordine procedens; prout hic consequenter latius dicitur;

Quod

a 2. Petr. 1. b 2. Corinth. 3.

Quod Transformatio modi Ascendentis habeat relapsum à spiritu diuino.

ARTICVLVS SECYNDVS.

ESt in hoc statu mysticus, vt Terminus amoris à Quo, scilicet eius operatio incipit, & ad pascua inuenienda egreditur; & Deus vt Terminus amoris ad Quem scilicet tendunt, pertingunt, ingrediuntur, & finiunt amorosi actus. & sic tanquam Seraphini, dici possunt [feruere, *a* qui impresso calore supra se sursum feruntur, & proprio pondere in se redeunt. huiusmodi super se leuationes, & in se relapsus vicissitudinariè, feruores dicuntur. Sancti itaque Viri, qui exarserunt Spiritus sancti gratia supra se efferuntur in Deum, & ex proprio pondere recidunt in se ab actuali supra se eleuatione.] Dum enim [anima *b* ad contemplandum Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modò quasi exuperat, quia intelligendo, & sentiendo in circumscripti luminis aliquid degustat, modò succumbit, quia degustando iterum deficit.]

[Eandem ergò lucem *c* quam in manibus suis tenet absconsam, ei propalat ad horam, aut horulam, prout sibi omnium moderatissimo, sapientissimè placuerit. quo lucis huius reditu annuntiet Deus per allocutionem internam

dilecto (homini bono scilicet, cum quo tam gratiosè operari dignatur) quod lux ista possessio eius non sit, ita vt eam possit stabiliter possidere: & si ad horam amiserit eam, ad eam rursus recuperandam possit ascendere, & per eam ad lumen gloriæ peruenire. insuper lucem contemplationis theoricæ, ac mysticæ radium visionis tenens Deus in manibus eandem lucem pulcherrimè radiantem, ad libitum suum menti purgatæ, nunc pandit, & influit, nunc trahit, & abscondit: sicque lux ista venustissima ad tenentis Dei arbitrium latet, ac patet, & nunc copiosius clariusque infulgens, nunc minus.] atque ita hic [infinitus *d* est quidam circulus, dum & spiritus capacitas ex repletione famescit, & esuriens impletur, ac vndique pascua inuenit, in quibus & esuriens, & repletus pascitur.]

Proprium est itaque huic statui, vt à summo ad ima, & vt ita loquar, ad nulla relabatur, & in nihilum quasi abeat, seu omninò euanescent, etiam summa quæque: cum eo tamen, quod licet sublimis aliqua spiritus in Deum absorptio à suo optimo, & summo deficiat; hoc tamen non semper fiat immediatè ad propriam, & nudam soleitatem sensibilis amoris; ita vt positiuam aliquam molestiam, & quasi dilacerantem miseriam degustet in inferiori homine. quamdiu enim adhuc aliqua intermedia, vel infima, ex superiori bene-affici perseverat, redundantia; tamdiu ex toto, &

a S. Bonan 4. itin. ater. d. 5. art. 3. ex Lincon. *b* S. Gregor. homil. 14. in Exech. *c* S. Dion. Carth. de fons. luc. a. 16. *d* Taul. instit. c. 12.

to, & plenè, ibidem misere affici non potest, licet ad septimanas aliquot duraret; nec ad superiora interim reascenderet. & hæc quotidiana praxi contingere, non tam est quæstio; quam vt ordinata, ad instantaneas vicissitudines accommodatione, animique industria, mysticus sua peragat. Vt autem plenius hæc explicentur, consequenter dicimus,

Quod modus Transformationis Ascendentis, magis sit perfectus, quam modus Descendentis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Statui Transformationis modi descendens, in quo omnia de Deo eminenter affirmantur; [Theologia ascendens, qui per negationes fit, anteposuerunt; vt qui animum à sibi cognatis, familiaribusque rebus subducatur: & per diuinas omnes notitias, atque perceptiones ambulet à quibus exemptum, secretumque; est id, quod nomen omne, rationemque, ac scientiam superat, ad extremum autem ei illa coniungat, quatenus nos etiam illi coniungi possumus.] vnde [nobilissima b sentio, quam in nostro spiritu sentire, vel experiri possumus, est: quod in Deo per amorem fructuum motimur, & subito in Deum denuò reuertimur, vt ita cum eo per inauulsiibilem adhesionem semper permaneamus.] licet ergò fiat relapsus è summo spiritus diuini in infimum spi-

ritus proprii: hoc tamen non est adscribendum alicui imperfectioni; sed maximè perfectioni. quia [illud est plenius & perfectius lumen, quod datur per modum actus siue passionis, quam illud, quod per modum habitus infunditur: quia ex altitudine huius luminis actualis contingit, vt humana mens illud possidere nõ possit per modum habitus.] imò etiam ex altitudine huius luminis actualis profuit summa illa spiritus libertas, qua facillimè eleuatur ad optimum modum operandi huius vitæ: & ita diuinis intendit, vt sciat se ijs intendere, absque imperfecta aliqua coëxistente, & aliò trahente notitia. sicut fit in visione patriæ: vbi nulla opus est vel negatione, vel abstractione; sed liberè, & perfectè, & vitam æternam habet, & scit se eam habere. hoc autem in hac vita fit tantò perfectius, quantò amplius, ab inferioribus ad medias, & à medijs ad superiores regiones, seu mentales situs ascenditur; & quantò relapsus à spiritu diuino in spiritum proprium, & subtilior, magisque suis ipsius auersionem, nuditatem, & soleitatem penetrans factus fuerit.

Hæc porro auersio, nuditas, vel soleitas, nõ ita accipienda est, quasi actualem fruitionem spiritus impedire valeat, sed quod tam subtiliter liberè, & ab omnibus soluto spiritu diuinis vnatur, vt quidquid habitæ puritati spiritus minus est, quodammodo sordescere, atque impertinentiæ suæ mole quodammodo suppressere, videatur. Vnde

Iii etiam

a S. Dion. de diu. nom. c. 13. b Harph. l. 3. p. 3. c. 17. c S. Thom. de Verit. q. 12. a. 1. ad 7.

etiam pro nihilo ducit, an aliquid viri-
bus inferioribus influat, an non. atque
tum [passio a inferior non impedit gau-
dium, & fruitionem superiorem;] sed
illam sentiens tranquillè tolerat, velut
frigus aliquod, calorem, famem, vel si-
tim. Vt autem hæc in praxi fiant, ad-
modum subtili distinctione in intimo
spiritu opus est; & hoc ipsum quidem
necessitate quadam. quia [quandò ma-
gis b crescit ascensio, tantò magis crescit
cognitio,] & consequenter amoris in-
tensio; ab ea autem ad contrarium, sci-
licet propriæ soleitatis gustum, viuacior
relapsio, vt habetur c supra, vbi etiam
latius ostensum est, quomodo diuino-
rum præstans animus, ab infimis per
medias, vsque ad summam spiritus regio-
nes reascendat, vt iterum perfectius de-
scendat, ac in amore cælesti continuò
magis proficiat; quod vt euidentius
fiat, hic consequenter dicitur,

*Quod vicissitudo Descendentis, & Ascen-
dentis Transformationis in hac vita sit
sufficiens, ad maiorem radicationem
in charitate.*

ARTICVLVS QVARTVS.

CVm [charitas possit augeri d tota
hominis vita,] nemini præsumen-
dum est, quod totum, e quod quærit in-
uenerit, ne desinat propinquare, qui

cessat accedere.] vnde licet [perspicax
ille contemplationis radius, semper ex
admirationis magnitudine iuxta aliquid
suspendatur; non tamen vno f modo
semper, nec vniformiter id agitur; nam
viuacitas illa intelligentiæ in contemplan-
tis animo mira agilitate modò it, atque
redit, modò se quasi in gyrum flectit,
modò autem se quasi ad vnum colligit,
& quasi immobiliter figit.] ita vt [vna
quædam vis simplex, quæ per se ad tem-
perationem quandam coniungentem à
bono vsque ad extremum eorum quæ
sunt, mouet, & impellit; g etiam ab ipso
rursus ordine per omnia ad bonum ex
se, per se, & à se in orbem reflectatur,
semperq; ad seipsam eodem modo re-
uoluatur.] & tum [Dei charitas h non
solum emanat, sed etiam trahit intrò in
vnitatem.] emanat quidem per descen-
sum Transformationis, quando Deum
vt primum principium vitali vsu, & frui-
tione semper in se præexistere habet, &
Deum eminenter omnia esse affirmat;
intrò autem trahit, quando per ascen-
sum omnia de Deo eminenter negan-
do; continuò penitus Deum, (vt ter-
minum ad Quem tendit) intimius at-
tingit.

Sicut ergò [non subest potestati libe-
ri arbitrij etiam per gratiam reparati,
vt se immobiliter in bono statuat:] ita
etiam in gratia mystica Transformatio-
nis, quæ per donum supernaturalis sa-
pien-

a S. Thom. 3. p. quæst. 46. a. 8. b S. Thom. in c. 10. de Cæl. hier. §. vel fortè. & c. 7. §. non ergò.
S. Bonau. 3. in. atern. d. 4. a. 1. ex Hug. c in praxi paraph. 13. 14. & 15. d S. Thom. 2. 2. quæst.
24. a. 4. c. e Leo serm. 11. de Pass. Dom. f Richard. l. 1. de Cont. c. 5. g S. Dionys. de diuin. nom.
c. 4. h Rusbroch. in l. Apolog. c. 13. i S. Thom. 2. 2. quæst. 138. art. 7.

pietiae dat usum, & vitalem gustum consortij diuinæ naturæ, admittendum est liberum arbitrium in diuinis vnionibus stabiliter non subsistere; sed ordinata vicissitudine mysticum in perfectiorem semper virum euadere. siue enim per circulares dimensiones diuinitatis, seu situs, vel regiones mentales, à summo spiritus diuini per proprium spiritum, ad inferiora, & quæ centrales, seu cordis sunt mansiones, descendat: siue ab hoc centro, per spiritum proprium ordinatè ad spiritum diuinum ascendat semper magis, ac magis proficiet; semper magis perfecta, magis pulchra, magis noua, magis bene-afficientia, & in charitate profundius radicanda inueniet, per ordinatam vicissitudinem vtriusque modi status Transformationis, scil. descendens, & ascendens, est enim vnus integer talis descensus, quasi vnum verbum, seu dictum (per innumerabilia, & ipsi practico (saltem ex toto) inobseruabilia verba) continens, quod Deus sit omnia in omnibus. Vnus autem integer talis ascensus, est etiam quasi vnum tale verbum, seu dictum, quod Deus sit super omnia quæ sunt. vtroque autem modo immergitur mysticus illi verbo, de quo dicitur: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.

in quo quidem [tanta latet *b* altitudo sapientiae, vt etiam annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi, (& practicandi) contingat illud Ecclesiastici; cum consummauerit homo tunc incipit.]

Hæc tamen non ita rigidè accipi volumus: ac si [eminentiores quasdam gratias *c* gratis datas negemus, quibus mediantibus sublimiori modo diuina vnio perficiatur; sed quod huiusmodi gratia huius loci non sint, nisi per accidens: directè autem, & ordinariè, ad statum sanctorum Viatorum pertineant; de quo *d* inferius pauca dicemus. Cæterum vt intra limites summæ Theologiæ mysticæ stemus, nec in vanum omnia huc adducere conemur: alia quam plurima, & propemodum infinita, quæ tam status naturalis modi, quam supernaturalis modi operandi, concernunt, & apud eminentiores tum antiquitate, tum sanctitate, ac doctrina, mysticos, admirabili certè, ac prorsus iucunda, vtilissimaq; varietate leguntur illis reliquimus, qui non tantum in Scholastica Theoria; sed intimius quotidiana, & annosa praxi, diuinis familiaritatibus digni habentur. Atque hisce præmissis ad mysticum statum eminentissimum huius vitæ, trans-
eamus.

a Ioan. 1. *b* S. August. tract. 39. in Ioan. *c* S. Thom. 2.2. quest. 45. art. 5. c. 3. sent. d. 34. q. 1. art. 2. *d* Dec. 9.

SEPTIMVS STATVS MYSTICVS
EST
SANCTORVM ECCLESIAE
MILITANTIS.

DECISIO NONA.

OMNIVM Sanctorum vitas hoc loco adducere oporteret, si singula, quæ ad mysticam pulchritudinem, ornatum, & varietatem faciunt, enucleatè, tractanda forent. & idèò arcana diuina studiosius prosequentes, ad illarum lectionem remittimus a nonnullis duntaxat hoc loco allatis, quæ præcedentibus statibus, & in eis se exercentibus, lumen aliquod dare poterunt: ne temerè, & à dæmonio superbè illusi; sibiipsis, aut alijs facillè gratiam sanctorum Viatorum persuadeant: ac etiam vt maiores gratias, & præstantiora diuinæ amicitia signa, in Sanctis Dei non dolosè, aut arroganter imitari, sed reuereri discant; ipsum interea [progressum b practicum, in quo spiritus noster à diuino spiritu feliciter agitur, experimentalibus contemplatoribus,] quique abundantiori gratia, vitæ sanctitate, & miraculorum dono à Deo dignati, magisterio Spiritus sancti reguntur, (eminentioribus institutis, vijs ac modis, quam à nobis dici valeat,) ruminandum relinquentes. non enim didici sapientiam, nec noui c scientiam Sanctorum. Monemus ergò

- I. *Vt nemo facillè sibiipsi, vel alteri persuadeat gratiam Sanctorum.*
- II. *De sanctorum Viatorum mysticis statibus, operationibus, methodo, ac ordine.*
- III. *Quod sancti Viatores experti sint rigidas illas spiritus & anima priuationes.*
- IV. *Quod in Sanctis huius vitæ mystici raptus, ecstases, visiones, miracula, & similes gratia gratis data, non imitanda: sed reuerenda sint.*
- V. *An aliqui Sanctorum in hac vita clarè viderint essentiam Dei.*

ARTI-

a Cum quibus etiam vtiliter legitur Ioan, à Cruce. Explan. Cant.. b Harph. l. 3 p. 4. cap. 30. Prouerb. 30.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vt nemo facile sibiipsi, vel alteri persuadeat gratiam Sanctorum.

GRATIA [gratis data, eminentiores *b* habitu sapientiae,] & [altiores *b* dono intellectus:] non tam faciles, aut ita communiter diffusae sunt, ut nonnulli sibi, alijsue persuadere possent. licet enim illi, qui gratia mystica modi supernaturaliter operandi dignati, ob sanctam exercitationem, & ad diuina assequenda contentionem iure merito de optima, quam elegerunt, & consecuti sunt, parte, gaudeant; caeteri vero illam in ipsis commendent, & reuerentur; non ideo tamen omnia viqueque ita tuta, aut salua sunt, quin in maxima circumspeditione quisque salutem suam cum timore, *c* & tremore operari debeat. tum quod Lucifer in Angelum lucis se transformare soleat, & bonos non nisi sub specie boni decipere, attentet; tum quod nemo [citra specialem *d* reuelationem Dei de finali in gratia perseverantia securus sit:] & hodie *e* in Domino stans, cras cadere possit; tum quod saepe apud homines, gratia gratis data, ut sunt gratia *f* sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum: & similes, (ad salutem *g* non necessaria) maiorem sanctitatis opinionem; quam occulta illa, & efficax gratia sanctificans, cau-

sare soleat. unde nonnulli illorum qui sibi, alijsque illusoriae sanctitatis famam acquisierunt, dicunt: manducauimus *h* coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti, & in *i* nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo daemonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: & tunc confitebitur illis, quia nunquam noui vos. & ideo de acceptis gratijs Deo humiliter gratiae referendae sunt, ad altiora autem dona se quisque penitus indignum censere debet, nisi sibiipsi, alijsue illudere gestiat.

Caeterum si quis proprias virtutes, & gratias ab hominibus laudari, nil omnino aestimet, ac illibeter se honorari permittat, nec in aliquo notabili reprehendat se cor suum; omnia quantumcumque grandia fuerint, in Deum, a quo omne & datum optimum, & omne donum perfectum desursum descendit; ex intima cordis humilitate referendo: is securum cum Beatissima Virgine MARIA; Dominum in anima sua magnificare poterit; licet vel Petri sanctitatem obtinisset, & umbra sua omnes languores curaret, & cum sancta Maria Magdalena, septies a Sanctis Angelis ad diuinos concentus audiendos eleuaretur: omni timore superbiae, aut abusus sublato. [crescente enim charitate, *l* crescit & filialis, ac castus timor.] in quo clare videt, quod omnia, quae habet non sua; sed Dei sint. qui uti in sanctis suis mirabilis sit, consequenter dicemus,

Iii 3

De

a S. Thom. 2. 2. q. 45. a. 5. t. *b* 3 sent. d. 34. q. 1. a. 2. *c* 1. Petr. 1 *d* Conc. Trid. sess. 6. Can. 16. *e* 1. Cor. 10. *f* 1. Cor. 12. *g* S. Thom. h. Luc. 13. *i* Matth. 7 *k* Iacob. 1. 1 S. Thom.

De Sanctorum Viatorum mysticis statibus, operationibus, methodo, ac ordine,

ARTICVLVS SECVNDVS.

Admiranda est Sanctorum Viatorum, in mysticis exercitationibus auspicio. aliqui enim non tantum à statu meditationis mysteriorum sanctissimæ Humanitatis Saluatoris nostri, Beatæ virginis, & cæterorum Sanctorum incepisse; sed & totam vitam in horum consideratione transegisse videntur, & per harum profunda secreta, vsq; ad summas diuinitatis contemplationes conscendisse: alij verò leguntur puriori tendentia, citò facilèq; diuinæ naturæ consortium, amicitiamq; induisse, sine inferioribus statibus, & operationibus. & rectè quidem vtrumque. cum enim Deo Optimo Maximo vnum idèque sit [quomodo, a quæue via, ac ratione quis procedat,] & singula secundum propriæ dispositionis normam dirigat, etiam ipsi non interest, vtrum per humanitatem, vel diuinitatem, mystica quis ingrediatur, & egrediatur, & pascua inueniat: præsertim quando extraordinario modo, per gratias, & fauores singulares piam animam deducere statuit. hinc etiam non necessariò requiritur ad hoc, vt gratiam Sanctorum quis obtineat, vt sit in statu mysticæ vnionis, aut Transformationis, aut vt ordinaria methodo, & sine saltu, ad illos, conscendat, vel etiã excedat. quia [nihil b prohibet aliquos esse perfectos, qui in statu per-

fectionis minimè sunt, & aliquos esse in statu perfectionis, qui perfecti nequaquam sunt.]

Et idèò Sancti Viatores, sæpè excedunt modum ordinariæ praxis, vel dum in minimis frequenter amplius Deum collaudant, & ad purissimum eius amorem sese excitant, quam alij qui in celonidum suum posuisse, & ad instar aquilæ nubes penetrasse, sibi videntur: vel dum [per c saltum] & excellentiori ordine, quam communiter de statu in statum per dona gratiæ mysticæ, & habitum sapientiæ, in amore diuino proficiunt, ita vt in ipsis [rara d & prodigiosa sit contemplatio, quam orationis exercitia (sc. consueta) non præcedunt.] ex eò verò vel maximè ordinariæ praxis operationes, (etiam modi supernaturalis) methodum, & ordinem excedunt; quod frequentet actibus infusus à Deo dignentur, & in visiones mentales, Ecstasies, & raptus diuinos, abeant: ac quâdoque extraordinarijs diuinis commotionibus, aut [e quocunque tandem beneficio gratiæ,] per illapsum, f vel raptum, in iubilum, vel spiritualem ebrietatem excitentur.

Vndè etiam iure merito eiusmodi singulares Dei amici, ductui Spiritus Sancti relinquendi sunt, qui eos absque errore, & periculo ducit, ac reducit quocunque impetus Spiritus voluerit. ita vt [Sancta Maria Magdalena g in lecto veræ pœnitentiæ quietetur.]

a Taul. in fest. Phirim. Martyr. b S. Th. 2. 2. q. 184. a. 4. c. c S. Bonau. 7. Itin. ater. d S. Bern. in scal. claus. e S. Thom. 2. 2. q. 175 a. 1. ad 2. f Eiusmodi operationum plena vide omnia in vitis variorum Beatorum, & Sanctorum. g S. Bern. in Cant. & S. Bon. de 7. Itin. et. in Prolog. dist. 2.

tur: Sanctus Thomas Apostolus lumine veritatis illustretur; Princeps Apostolorum Petrus in sede fidei collocetur; Sanctus Ioannes in ardenti fornace amoris diuini inflammetur; vas Electionis Paulus Apostolus in throno sapientiae sublimetur,] & demum Sanctus Pater noster Franciscus per sacra stigmata sui corporis, rotus in Christum Crucifixum transformetur; qui etiam electos suos per crucem ad gloriam deducit, vnde & consequenter dicitur,

Quod Sancti Viatores experti sint rigidas illas spiritus, & anime priuationes.

ARTICVLVS TERTIVS.

AD depurandum omne id, quod anima ex labe originalis iniustitiae contraxit, tam utilis, ac necessarius est mysticae priuationis rigor; vt ad proprii nihili cognitionem, & passionum, affectuumque subordinatam pulchritudinem acquirendam, vix aliud quippiam tam efficax inuenire liceat. vnde etiam legimus illos a Sanctos in istiusmodi priuationibus, & carentiis, diuinae actualis amicitiae, amplius excitatos fuisse; qui alios *b* in mysticis gratiis, excessisse, inueniuntur, illosque solos, vt potè magis singulares Dei amicos, decet; vnde & consequenter dicitur.

Quod in Sanctis huius vitae, mystici raptus, Ecstases, visiones, miracula, & similes gratiae gratis datae, non imitanda, sed reuerenda sint.

a Tau. Instir. *b* sup. Dec. 1. a. 8. *c* Iob. c. 1. & 2. *d* 1. p. Dec. 4. a. 2. *e* S. Aug. ser. 10. de verb. Dom. f. S. Thom. 1. 2. q. 28. a. 5. c.

ARTICVLVS QVARTVS.

QVadam *c* die cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter illos etiam Satan: nec quidquam hodie tam sanctum, tamque diuinum facile inuenias, cui non aliqua Dæmonis fraus in sceleratis hominibus adstare velit. hinc videas quosdam viros, frequentius autem iuuenes, & annosas *d* mulierculas, naturæ, & Satanæ dolis astutas, in ecstases, & raptus abire, visiones, seu potius malitiosas spiritus compositiones aspicere; & mira quaedam peragere; quo vel apud homines sanctitatis opinionem venentur, vel veris Sanctorum miraculis, & mysticis gratiis, malignanter illudant. quibus, cum dæmoniis consortibus suis illisotibus reiectis, mysticos signanter incipientes, & proficientes commonemus; ne vquam quantumcunq; in mystica gratia profecisse videantur, sibi ad imitationem statuunt Sanctorum raptus, Ecstases, visiones, miracula, aliasue similes gratias; dicente Domino, discite à me quia mitis sum, & humilis corde: discite, inquam, à me [non *e* mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos resuscitare, sed quoniam mitis sum, & humilis corde.]

Et licet in Sacratissimo Salvatore Domino nostro, eiusque Gloriosissima Virgine MARIA, nullum raptum, vel Ecstasin ponamus; eo quod, loquendo [generaliter *f* propter excessum immuta-

tionis

tionis corporalis, omnis amor læsius dici possit,] in raptu autem, vel Ecstasi, maior sit immutatio, & læsio, & quædã ad sacratissimas illas personas indignitas; nihilominus tamen quia mystici, & veri raptus, & Ecstases, superexcellentiſſimi diuini amoris, atque amicitia præclara sunt signa, idè ab omnibus iure merito piè veneranda sunt.

Est autem (vt vel modicum de his dicamus) verus, diuinus, & mysticus [raptus, eleuatio hominis à spiritu diuino a ad aliqua supernaturalia videnda, cū violentia quadã, & abstractione à sensibus.] [Ecstasis verò est, eleuatio hominis à spiritu diuino ad aliqua supernaturalia videnda, per simplicem b excessum à seipſo; secundum quem aliquis extra suam ordinationem ponitur, absque violentia.] de visionibus porrò, reuelationibus, & locutionibus veris, & falsis, malis, & bonis, præ cæteris mysticis prolixè, & ad praxin vtiliter tractat Ioannes à Cruce. c miracula d autem sunt, quando Deus per orationem, aut merita alicuius Sancti facit aliqua opera, quæ ordinem, & virtutem naturæ excedunt: siue hoc fiat circa substantias separatas, siue creaturas rationales, siue irracionales. Cæterum ne potius fragmenta quædam, quam singula, quæ de mysticorum operationibus præstantioribus, tum internis, tum externis, in sanctorum vitis continentur, adferamus; hoc loco sectatorem bonorum operū,

tanquam apem argumentosam ad eas legendas, & venerandas, remittimus; & consequenter ac finaliter quærimus,

An aliqui Sanctorum in hac vita clarè viderint Essentiam Dei.

ARTICVLVS QVINTVS.

MAneat apud Sacros Doctores eiusmodi visionis assertio; hoc tantum dixisse sufficiat, mysticis valdè eminentibus, & quod [vix fcedimus] dictū videri; hominem in hac vita, vel in actu transeunte, clarè ipsam Dei Essentiam vidisse. quantò enim amplius profunda Dei, & scrutantur, & degustant; tantò minus decens esse, ipsis videretur, vt qui à gratia Dei per peccatum separari potest, aut dum peregrinatur à Domino, etiam iustus in die g septies cadit: beatorum gloria, vel ad momentum perfruatur. Cæterum cum Beatissima Virgo MARIA, nunquam, vel minima peccati labe infecta fuerit, videretur piè loquendo, non minus, si non magis (illi) quam alteri alicui Sanctorum Viatorum, istiusmodi clara visio in hac vita concedenda. & quidem hisce paucis contenti, ad statum claræ visionis transeamus; de quo etiam pauciora dicemus, cum, quantò magis ad suprema pertingimus, tantò minus inueniamus verba per quæ dicamus, cum talia sint, quæ non liceat homini loqui; sed num maximè Deo debeat laus, & silentium.

STA-

a vt colligitur ex S. Th. 2. 2. q. 175. b ibid c Ascens. Mont. Carm. l. 2. per totum & Thom. à IESV de diu. ora. l. 2. c. 10. d vt colligitur ex S. Th. 3. p. q. 44. & 45. e S. Th. 1. p. q. 12. a. 11. & 22. q. 175. a. 2. ad 1. f Thom. à IESV de Cont. l. 5. c. 14. g Prou. 24.

STATVS SANCTORVM
CLARAE VISIONIS,
SEV
ECCLESIAE TRIUMPHANTIS.

DECISIO DECIMA.

ESto magni amici Dei censendi sint, qui in praedictis statibus, lumen suum dederunt, & Deo luxerunt cum iucunditate; cum tamen, qui minor est in regno caelorum, maior sit omnibus constitutis in terra: de clara visione pauca, & nonnisi per modum statuum mysticorum ad suum finem dicenda sunt: poterunt enim amantissimi diuinorum, sacra doctrina eruditi, plurima vtilissima perlegere, quae de visione a beatifica sapienter conscripta sunt:

ARTICVLVS PRIMVS.

In caelo videbimus clara visione diuinam essentiam, eamque perfecte diligemus, alius tamen alio perfectius.

Videmus *b* nunc per speculum in aenigmate, cognoscendo ex parte: tunc autem, videlicet in gloria Patriae; Deum videbimus facie ad faciem; cognoscendo sicut & cogniti sumus, ita, vt Diuinam *c* Essentiam (intellectu lumine gloriae eleuato) clara visione intueri, & apprehensuri: voluntate autem, seu perfecto amore illam simus

(*d* comprehensuri) alius tamen e alio perfectius;] pro vt quilibet mediante gratia diuina, per actus rectae voluntatis, magis dispositus; seu per [plures foperationum motus, qui merita dicuntur; Deo magis vicinus fuerit.] interea vero, dum peregrinamur a Domino, de hac felicissima beatitudine, pientiores Scholasticos doctè loqui, praestantiores autem mysticos, copiosè praegustare sinemus: quoad usq; etiam in nobis euacuetur quod imperfectum est; & Dei misericordia videamus, & diligamus eum, sicuti est.

Kkk Atque

a S. Thom. & passim scholasticis. *b* 1. Cor. 13. *c* S. Thom. 1. 2. q. 3. 4. a. 3. *d* q. 4. a. 3. *e* q. 5. a. 2. fa. 7.

Atque hic tandem est finis amoris mystici, quem in hac vita secundum varios status, multiplices modos, atque ex parte nostra infinitas, & inobservabiles operationes desideramus, acquirimus, fouemus, & secundum mensuram donationis Christi digerendo perficimus, pro ut Deo dante per totam hanc summam breuiter declarare, & usque ad illam, quam in futuro expectamus gloriam, deducere conati sumus.

ORATIO CONCLVDENS.

ARTICVLVS VLTIMVS.

TRinitas, [essentia, a diuinitate ac bonitate superior & præstantior,] in temetipsa quidem in Nunc æterno fecundissima operatione agens, & diuinæ tuæ essentia bonitatem digerens ad intra: ad extra verò, & quæ alioqui sunt, & non sunt, creari tamen possunt, habitans lucem inaccessibilem: ita ut nil eorum quæ sunt, super eminentiæ tuæ præstantiam adæquare possit. quo, qualique modo fieri potuit, ut præter te aliud quidpiam quantumuis in se præstans, ac inferiora se excedens, & esse, aut dum est persistere possit? An non vel idèd Cherubim, ac purissimæ illæ intelligentiæ, cœlestesque potestates contremiscunt, ac timida cupiditate ducuntur, & quos paulò minus ab Angelis minuisti, procidunt ante sedentem in throno, & sub te curuantur qui

portant orbem, ac ingemiscit omnis homo? quidem enim est omnis caro, ut audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, & viuere possit?

Sunt tamen omnia quæ fecisti in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, opera tua Domine, magna, exquisita in omnes voluntates tuas; & sua quodlibet sibi proportionata felicitate sicut est, ita & existit, & ut interminæ bonitatis tuæ quædam particula, ac vestigium gaudet, & bonis tuis perfruitur. hoc ipsum scilicet sola illa Bonitate tua, qua æternaliter in temetipso, secundum essentiam in vnitatem, secundum Personas autem in Trinitate beatissimè viuas, præstante, sicut enim intermina illa, & superexaltata sublimitatis tuæ Maiestas expetere videtur, ut ad intra, & tecum ab æterno nil præter te sit, minusue coexistat; ita quoque infinitus bonitatis tuæ thesaurus, distribuit, ut in tempore iuxta consilium voluntatis tuæ, omnia, & singula quæ sunt, & erunt, sint, existant, viuant, & in te glorientur ad extra; in proprio suo esse, habere, viuere, tuique communiōne, ac laude. Tuæ ergò bonitatis misericordia, quæ iustitiam maiestatis superexaltat supereminenter; sicut alia præter se, esse, existere, ac viuere concedit, & compatitur: ita quoque exposcere videtur, ut eorum quodlibet suo quoquo, & sibi proportionato modo, te æternum honoret, laudet, glorificetque.

Idèd te sedente super solium excelsum,

sum, & eleuatum, pleni sunt cœli, & terra Maiestatis gloriæ tuæ, & inter adstantes exercitus cœlestium agminum, Seraphim clamant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria tua; commouenturque superliminaria cardinum à voce clamoris eorum; sed & procidunt viginti quatuor Seniores, & mittentes coronas suas ante thronum, dant gloriam, & honorem, & benedictionem, & adorant viuētem in sæcula sæculorum: quin etiam omnis creatura quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes dicunt sedēti in throno, & agno; benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.

En ergò Misericordissime Deus, cum alijs terræ vermiculus sum, existo, & uiuo, plasma, & opus manuum tuarum; tua quidem bonitate creatus rectus, propria autem ingratitude, & peccatorum voragine pabulum mortis, & titio ignis æterni, effectus. & hinc quidē iustitiæ tuæ æquitas ad barathri abyf-

sum me proicit; illinc autem superexaltans Misericordia in spem erigit, & æterna reuerentia, ad tui nominis honores, laudes, & gratiarum actiones inuitat, prouocatque. quamuis ergò multiplicata sint peccata mea, super capillos capitis mei, infinitæ tamen misericordiz tuæ memor, introibo in domū tuam, adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo: si quo modo fortè comprehendam in gratia veræ dilectionis: in qua ut comprehendar, Tu Domine Iesv, qui clauem vitæ, & mortis habes, solus præstare potes, & ut præstes, ad Pedes tuos, in SS. Cruce pro me clauis transfixos, procumbo, & deprecor gemitibus inenarrabilibus; utque totum quod per curuitatem inordinati amoris, ad commutabile bonum deperdidi, hoc ipsum per hanc, quantumcunque exiguam dilectionis tuæ descriptionem, & summam; nec non per præces, & merita Sanctarum, Tibique in præstanti hoc amandi modo dicatarum animarum, cum scœnore tibi restituam; æternum supplex oro.

Tibi ergò qui potens es omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis; Tibi, inquam, sit Gloria in Ecclesia, & in Christo

I E S V in omnes generationes sæculi
sæculorum Amen.

F I N I S.

Kkk 2

INDEX